1 Rg Sr 26

No 642
V1. 34

R40701

M. Wuilanden

SELECTA DIARII

NOSOCOMII REGII FRIDERICIANI HAFNIENSIS

TOMUS SECUNDUS

ANNOS 1785. 1786. 1787. CONTINENS

BIBLIOTHECA REGIA MEDICA HAFNIENSIS

AUCTORE

FRIDERICO LUDOVICO BANG

NOSOCOMII HUJUS MEDICO PRIMARIO, MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE UNIVERSITATIS HAFNIENSIS

HAFNIÆ, MDCCLXXXIX

LITERIS SIMMELKIÆRIANIS

ANNUS 1785.

MENSIS JANUARIUS.

1. Febris bilioso-putrida personas 21, sc. septem leviori, reliqvas graviori gradu detinuit; cuidam ob metastasin ad pectus, illiqve succedentem scorbutum dimidius annus pro integra restitutione opus erat; duo moriebantur, unus totius jam mensis morbo ante introitum debilitatus demum diarrhœa metastatica dolorifica, haud sistenda, aphtasqve secum ferente consumebatur, alterum metastasis ad encephalum necavit, utriusqve historia & sectio infra memorandæ veniunt.

2. Febres morbillosæ nonnullæ, haud alia medela qvam calore lecti & regimine antiphlogistico indigentes, aderant.

3. Inter pleuriticas febres, qvarum numerus parvus erat, qvædam mihi ob vagam indolem notabilis videbatur, dolor sc. primo occupabat pectus sinistrum, venæsectione & camphoratis adhibitis transibat ad pectus dextrum, ibidemqve gravior crebriorem qvam antea phlebotomiam reqvirebat; hoc devicto dolore, cardiam invadebat oppressio molesta cum dyspnœa alvoqve segni, verum absqve febre, hepar ideo affectum credens præscripsi pillulas resolventes e saponis venetæ, gummi ammoniaci, extracti cicutæ, florum sulphuris ana drachmis duabus, kermis mineralis granis decem paratas, qvarum grana qvindecim ter die sumta, spatio qvatuordecim dierum sub dolore nonnullo interea in femore & ischio dextro vagante, ægrotum restituebant; rheumaticam hujus morbi naturam, vaga illius sede designatam, adhuc certiorem reddit ejusdem versus artus directio. Alterius pectori profuit alia successio; illius nimirum tussim siccam cum dyspnœa & dolore pressorio medii pectoris jam valde levaverat fluxus sangvinis hæmorrhoidalis post sumtum laxans excitatus, pleniorem dein in nosocomio restitutionem effecit nitrum cum lacte sulphuris ma-

rita-

ritatum, qvo alvus per ſe ſegnis melius ſolvebatur, & hæmorrhoidalis fluxus promovebatur.

4. Morbi arthritico-rheumatici non pauci. Qvendam iſchiade laborantem ſanabat veſicatorium in crure affecti lateris, cujus ſuppuratio diu ſuſtentata fuit. Apud fœminam tuſſis integri menſis evanuit ſub exorto dolore brachii, deinceps per applicitum veſicatorium abacto. In altero ſimilis pectoris affectio tranſiit in dolorem brachii & cruris dextri ſimul tumentis, qvi dolor camphoratis brevi diſſipatus fuit. Qvidam 31 annorum qvinqve annis fluxum hæmorrhoidalem valde regularem paſſus; jam qvatuordecim circiter diebus febre rheumatica laboravit cum dolore artuum initio vago, dein fixo in iſchio ſiniſtro & brachio dextro, interea abfuerat hæmorrhoidam fluxus, qvo ſub uſu nitri cum lacte ſulphuris & camphoræ cito reverſo, artuum dolor ceſſavit; levis breviqve durans artuum affectio apud hæmorrhoidarios ſat crebro obveniens ſymptoma eſt, talem verò ac in noſtro articularis morbi gradum fluxu hæmorrhoidali perſanari, rarius obſervatum eſt.

5. Sub partu difficili ante qvatuor hebdomades per forcipem finito fœmina 32 annorum orientem ſentiit dolorem in regione

illiaca ſiniſtra, extenſum ad iſchium nec non ad femur & crus integrum ejusdem lateris cum levi tumore ſupra malleolos, mox internum mox externum, qvi ultimus a minima preſſione ſuſcitabat gravem dolorem totius extremitatis inferioris ad iſchium usqve; affectæ huic parti frigoris ſenſus continuo inhæſerat; halux ſiniſter ab initio inſenſibilis fuerat, ambulatio erat impedita; dolor ille abdominis initio graviſſimus ſub uſu liqvoris anodini mineralis Hofmanni ſenſim minutus & qvaſi in extremitatem deſcendiſſe ægrotæ viſus erat; pridie ante introitum veſicatorium ſuræ affectæ applicitum erat cum levamine doloris cruralis, pulſum inveni naturalem, appetitum verò ob validos cruciatus proſtratum; poſt alvum leniter purgatam liqvoris nervini guttæ viginti bihorio in uſum trahebantur, & veſicatorii incipiens ſuppuratio per ungventum baſilicum pulvere cantharidum mixtum usqve ad qvatuordecim dies conſervata fuit illo cum effectu, ut dolor extremitatis ad ſuppurantem locum converti ſenſimqve minui videretur. Conſolidata ſura, reliqviæ doloris & rigiditas extremitatis uſu balnei vaporarii tollebantur. Nonne morbus hic mere nervoſus habendus atqve diſtentioni vel compreſſioni nervi iſchiatici per partus negotium inductæ adſcribendus eſt?

6.

6. Emanſione catameniorum refrigerio producta puella qvædam jam triennio ita laboraverat, ut modo ſemel ante annum hoc fluxu gaviſa eſſet; alias omni menſe per aliqvot dies vexari ſolebat lumbagine & gravativo dolore corporis totius, qvæ ſymptomata aut ſpontanea narium hæmorrhagia aut venæſectione levabantur & tranſibant, præterea ulceribus crurum iterum conſolidatis, nec non tumore eorundem œdematoſo, etiam pectoris & cardiæ oppreſſione laborabat; facies erat rubicundi coloris, ita ut dysmenorrhœam hanc lentiori motui humorum tribuere haud fas eſſet. Vena ſecta, ſemicupium ad vaſa uterina relaxanda, nec non intus adhibendum infuſum, qvod antea proficuum comperi, e baccis juniperini & foliis ſennæ præſcripſi; hiſce & dein pilulis aperientibus cum marte atqve gummoſis, elixirioqve aperitivo Clauderi incaſſum & ſufficienti ad experimentum tempore adhibitis, venam e novo ſecui, & anſam dante reverſione tumoris crurum, præ aliis remediis elegi cremorem tartari ſolubilem ter die ad cochleare minus ſumendum, nec non inſeſſionem ſuper decoctum herbarum emollientium, qva per qvatuor dies repetita oriebatur vomituritio, illius ergo dedi emeticum, & altero die exoptata catamenia provenerunt. Qvod hoc demonſtrat exemplum, etiam alia me docuit experientia, ſc.

validum per emeſin corporis concuſſum præſertim rita præparatione effecta ad fluxum menſtruum reſtituendum apprime convenire.

7. Dolor lancinans abdominis virum 31 annorum ſine præcedente cognita cauſa aut alio morbo invaſit, ſenſim concentratus & fixus in regione umbilicali cum pertinaci obſtipatione alvi; variis adhibitis remediis, demum poſt duos menſes dolor abdominis evanuerat ſub inſeqventi dolore artuum, tam ſuperiorum, qvam inferiorum cum adjuncta eorundem debilitate, ſenſim ad illum gradum adaucta, ut prorſus nullum membrum movere potuerit, alvus interea ſemper ſtricta, nunqvam niſi laxantibus remediis ſoluta, & tunc ſemper multum mucum depoſuit, artubus debilibus ſæpius veſicatoria applicita fuerunt ſine ullo juvamine. Ita jam per decem hebdomades comparatus æger in noſocomio ſuſcipiebatur, abdomen illius valde conſtrictum, verſus dorſum retractum, corpusqve totum valde emaciatum inveni, præter allata æger etiam qverebatur difficilem flatuum exitum (ut ipſi videbatur) a conſtrictione inteſtinorum impeditum. His omnibus perpenſis ſymptomatibus alvum reddere laxam & lubricam conſultum duxi, qvo ſcopo primo octiduo per ſolutionem mannæ cum oleo promoto, balneum univerſale tepidum ter qvavis ſepti-

mana

mana in uſum trahebantur, intusqve eſſentiæ ſtibii Huxhamii cum ſpiritu lavendularum compoſito, nec non allata ſolutio laxans mannata, qvotiescunqve alvi ſtrictura poſtulabat, atqve membris affectis cucurbitæ ſiccæ admovebantur. Hiſce remediis demum poſt dimidium annum, ſed plene æger noſter fuit reſtitutus. Spasmodicam hujus colicæ indolem manifeſto declarant ejusdem ſymptomata, qvamvis ſolitis illius cauſis, commercio cum plumbea materia, aut arthritidi prægreſſæ æger theologiæ ſtudioſus haud ſubjectus fuiſſet, forſan rheumatica materies per refrigerium inſenſibile contracta & ad inteſtina directa mali prima origo fuerat. Notabilis apud noſtrum extremitatum omnium dolorifica & paralytica affectio paſſionem inteſtinalem partim comitata, præſertim verò inſecuta haud ſecus, ac ſimilis nexus, in aliis ſpasmodicæ colicæ exemplis obſervari ſolitus, præ cæteris morbis ſingularem nervorum ſympathiam demonſtrat, ſc. affectionem morboſam nervorum inteſtinalium communicari & propagari poſſe in nervos diſſitos artuum, & qvidem non mediante encephalo, cui, utpote in his morbis prorſus ſano, nulla culpa attribui poteſt; inſtrumentalis hujus conſenſus cauſa nervus intercoſtalis magnus juſtò haberi poteſt, qvo modo autem tranſitus ille nervoſi morbi peragitur, & ob qvam rationem potius

ad artuum imprimis ſuperiorum, qvam ad aliarum partium nervos dirigitur, explicare vix poſſibile eſt.

7. Nervoſus morbus adhuc rarior occurrebat in milite 38 annorum. Qvatuor jam, cum ad noſocomium veniret, elapſæ erant hebdomades ab aggreſſo morbo, cujus initium erat ſubitanea gravis cephalalgia, illam ſeqvebantur adhuc durantia retractio oris verſus aurem ſiniſtram, ſuſurrus capitis, immobilitas oculi ſiniſtri ejusdemqve palpebrarum imprimis inferioris, ita ut nec oculum movere nec claudere neqvidem ſub ſomno valuerit, ſtupor & torpor omnium artuum tam ſuperiorum qvam inferiorum, dolor tenſivus partes varias capitis, imprimis temporalem ſiniſtram freqventer afficiens qvandoqve oculum ipſum, qvi tunc largum ſerum ſtillabat, occupans, nec non frigus continuum crurum; haud aliis morbis ante hujus adventum ſubjectus fuerat noſter, qvam illis ſic dictis crampis, qvi ſex prægreſſis annis varias corporis partes crebro vexaverat; pulſum, alvum, appetitum naturalia inveni; vena ante introitum ter ſecta erat: Mox emeticum porrexi ſine perceptibili mutatione morbi, venæ ſectio & hirudines temporibus bis applicitæ ſymptomata allata minuebant; præterea veſicatoria primo in nucha & dein pone aurem ſiniſtram

ſtram utrobiqve cum ſuppuratione diu protracta, ſinapismi freqventer extremitatibus inferioribus appliciti, intusqve liqvor nervinus ter de die ſumtus, & cremor tartari cum rheo mane & veſperi adhibita fuerunt, qvibus factum fuit, ut vires artuum qvoad ſenſum & motum ſenſim ſpatio ſex hebdomadum complete reſtituerentur; affectio autem capitis lentiori progreſſu in naturalem modum & qvidem demum ſub uſu ſolutionis gvajacinæ, cujus uſum dolor vagus capitis mihi ſvadebat, convertebatur, ita ut poſt novem hebdomades ab introitu exactas nobis valediceret æger, jam ſat validus ad graves, qvi illi incumbebant, corporis labores perficiendos. Complexus horum ſymptomatum ſat inſolitus haud immerito adſcribitur materiæ arthriticæ vel rheumaticæ, qvæ nervos jam nimis mobiles, (ut e crampis antea freqventibus concludendum eſt) vario gradu afficiendo, aut paralyticam, aut dolorificam, & ſpaſticam paſſionem producere valebat; eandem ſententiam corroborant juvantia antarthriticæ indolis, qvæ ideo in ſimili caſu aliis ſunt præferenda.

8. Anæſteſia plena miles 53 annorum, cujus negotium plurium annorum fuerat peregrinatio & conductio militum in exteris provinciis, ſine cognita cauſa aut alio vel præ-

cedente vel comitante morbo corripiebatur, tactus nimirum vi in toto corpore, excepto capite, privatus; cutem propriam haud alio modo, ac si involucrum peregrinum esset, percipiebat, ob qvam sensus hebetudinem omnem utilis laboris incapaces erant manus, qvippe qvæ destitutæ idea præsentis objecti ejusdemqve loci per tactum excitanda; frigus etiam continuum manuum aderat cum earundem singulari mollitie; musculi artuum imprimis inferiorum qvoqve debilitate laborabant, ita ut modò passus breves vacillans tremensqve facere valuerit; sudori demum facili & enormi admodum subjectus erat; reliqvæ excretiones & appetitus naturali modo se habebant, mentis facultates ipsas prorsus integras, & nunqvam non hilarem vidi hunc ægrotum. Sudorem debilitantem variis antiscorbuticis frustra tentatis, compescuit vinum roborans e limatura martis cortice peruviano, radice calami aromatici vino albo infusis, cujus cochleare majus trihorio sumebatur; reliqvus autem morbi status idem permansit, cui opponebantur antiparalytica solita sc. intus infusum florum arnicæ, liqvor nervinus vel essentia stibii Huxhami cum spiritu lavendularum composito. extus vesicatoria tam artubus qvam nuchæ applicita, alias sinapismi, cucurbitæ siccæ, balnea stillatitia, electrisatio, frictio per pannum fumo aromatico

im-

imbutum, flagallatio per urticas, qvarum certa ſpecies in loco lapidoſo collecta præ aliis urticis urentiſſimam, ægroto fere intolerabilem, verum me judice maxime ſalutarem efficaciam exſerebat; annus integer præteriit, anteqvam ulla morbi mutatio obſervaretur; tunc ſentiendi vis redire cæpit, primo in dorſo & dein reliqvis in locis, ſub hac virium reſtitutione varias ſæpe moleſtias qverebatur æger in membris affectis ſc. ſenſum formicatorium, dolores tenſivos, pandiculationes, motusqve electricos; debilitas genuum maxime pertinax demum etiam poſt applicitos juxta ſuras fonticulos ceſſavit, ita ut æger, biennio apud nos abſoluto, ſanus redierit ad munus ſolitum exercitatoris militaris, vim certe integram tactus motusqve reqvirens, peragendum. Inter plura ægrotorum millia neqvidem analogum allato exemplum mihi occurrit; qvo rarior autem experientia, eo magis neceſſaria & utilis ad docendum, qvid de morbi eventu cenſere, qvid agere opportet. Ex noſtri hiſtoria diſcimus, & curabilem eſſe mirum illum morbum, & tempus, qvod hoc ſcopo reqviritur, diuturnum, ne obſtinati morbi pertæſi ægrotum tanqvam deſperatum mittamus, & demum remedia, qvibus voti compotes fieri valemus.

SECTIONES:

9. Putridæ febris manifeſtis ſymptomatibus apud juvenem viginti annorum qvinta morbi hebdomade fere evanidis & reverſo aliqvali appetitu, ſponte oriebatur diarrhœa magis magisqve dolorifica, nullis remediis compeſcenda & poſt octo dies letalis. Aperto cadaveris abdomine, inteſtina partim cum peritioneo partim cum ſe invicem coalita, cruſta purulenta obducta, per totum tractum inflammata aut ſphacelo adeo corrupta, ut ſeparationis vi dilacerarentur, ventriculum etiam inflammatum invenimus.

10. Simili morbo puella 17 annorum afflicta, ſtupida, ſurda, delirans, vehementes qvandoqve clamores edens poſt qvatuor circiter hebdomades ſub inſultu epileptico moriebatur. Diſſecto cranio demortuæ, vaſa & ſinus cerebri ſangvine turgidiſſima reperta fuerunt, ventriculi laterales aliqvalem, baſis autem cranii notabilem copiam extravaſati ſeri continebant. Qvod ratiocinium probabile reddit, allatæ ſectiones adhuc certius demonſtrant; ſc. duplicem præcipue eſſe putridæ febris effectum, qvo mediante mortem inducit, aut metaſtaſin, ut in priori caſu, dum materia morbifica a maſſa ſangvinis ſeparata ad partes nobiles convertitur, easdemqve in-

flam-

flammat & deſtruit, vel extravaſationem, ut in poſteriori caſu, dum reſoluti humores effluunt in cavitatibus internis & comprimendo vel irritando functionem organi vitæ neceſſariam tollunt.

11. Doloribus artuum vagis bimeſtribus in viro 31 annorum per remedia antarthritica fugatis, mox ſurrexit dolor abdominis initio inconſtans, dein fixus; venæſectio repetita, camphora, moſcus, veſicatoria artuum diu ſuppurantia morbum haud minuebant, qvinimo poſt ſeptem dies jungebantur vomitus tam ſpontaneus qvam omnium ingeſtorum, ſingultus & diarrhœa, qvæ demum nullis remediis juvanda, poſt tres hebdomades morte terminabantur. Recluſo cadaveris abdomine, larga copia ſeri ſpiſſi ichoroſi effluxit ſimul cum halitu fœtidiſſimo, omnia inteſtina, qvatenus ob peſſimum odorem perſcrutari poſſibile erat, ſphacelo correpta & inter ſe coalita erant. Vix ulla dubitandi eſt ratio, qvin materia arthritica ad inteſtina converſa letalem eorundem inflammationem produxerit; firmior ideo redditur illa praxeos regula dolorem talem, qvamvis arthriticæ indolis, attamen ſecuritatis ergo ut verum inflammatorium debellare.

FEBRUARIUS.

1. Febris bilioso-putrida 34 personas 16 modico, 18 graviori gradu detinuit. Cujusdam morbi decrementum qvarta hebdomade observatum excepit dolor femoris siniſtri, nec vesicatorio nec cucurbitis cruentis mutatus, demum illi jungebantur nonnullus tumor, qvi applicito cataplasmate emolliente simul cum dolore dissipatus fuit. Duo moriebantur, alter ob metastasin ad pectus cum insequenti phthisi, alter sub summa ad encephalum congestione humorum, cujus historia & sectio infra describendæ sunt.

2. Delirium phreniticum in viro 36 annorum post venæsectionem bis ad solitam qvantitatem institutam & hirudines temporibus applicitas increscens, & tertio die furiosissimum redditum, simul ac semel sustulit phlebotomia, qva tres sangvinis libræ ad lipothymiam usqve educebantur, eandem præstantissimam utilitatem e tam larga sangvinis missione percipiendi aliqvoties in praxi civili extra nosocomium mihi data fuit occasio.

3. Cephalalgiæ moleſtiſſimæ qvinqve hebdomadum apud puellam 21 annorum ſangviſugio hirudinum temporali, veſicatoriis tam nuchæ qvam brachiis applicitis, aliisqve remediis fruſtra debellatæ demum ob ſorditiem lingvæ & amaritiem ſaporis oppoſui emeticum, qvo ob perſeverantiam ſymptomatum ter repetito, conſtans malum in periodicum vertebatur, & vi corticis peruviani tollebatur. Haud inutile eſt, hoc exemplo recordari & certiorem reddi, qvod moleſta adeo & pertinax capitis affectio e primis viis ortum trahere poſſit, qvalem cauſam ſub adjunctis allatis impuritatum ſignis merito ſuſpicari opportet; noſtræ caſus etiam indicare videtur, materiam illam nocivam, qvæ majori copia & gradu continuum inducit morbum, minuta vi & qvantitate periodicum malum efficere poſſe.

4. Poſt inebriationem experrectus adoleſcens 24 annorum brachium dextrum animadvertebat paralyticum, duodecimo abhinc die ad noſocomium ductus nullam aliam infirmitatem qverebatur; venæſectione, emeſi, veſicatorii applicatione in brachio affecto inſtitutis aliqvale producebatur juvamen, qvod dein adhibitis cucurbitis ſiccis, intusqve eſſentia ſtibii cum ſpiritu lavendularum compoſito atqve infuſo florum arnicæ ſpatio qvinqve hebdomadum completum reddebatur.

ef-

Hiſtoriæ hujus mentionem feci ad docendum effectus poſſibiles inebriationis, vi cujus ſangvis rarefactus & ad cerebrum accumulatus nervum vel partem qvandam encephali compreſſerat, atqve vim ejusdem vitalem pro tempore impediverat.

5. Vomitu freqventi fere qvotidiano mox ſpontaneo, mox ingeſtorum, nec non ſingultu, dolore hypochondrii ſiniſtri, pulſatione moleſta pectoris, & conſtrictione abdominis, omnibus non continuis, ſed crebro recurrentibus, cum alvo ſegni, frigore indeſinenti crurum puella 27 annorum jam menſis ſpatio afflicta erat, multaqve a duobus medicis fruſtra adhibuerat remedia, menſtruus fluxus ſemper naturalis adfuit, nec ulla febris; clysmata ex aſſa fœtida alvus mox bis exonerabatur, porrecta dein mixtura antemetica riverii ſ. julapio ſalino intra biduum vomitus prorſus ſedabatur; hoc facto, ſolutionem e ſalis mirabilis glauberi unciis duabus; aqvæ menthæ unciis octo & tinctura rhei aqvoſæ uncia dimidia ad cochlearia duo bihorio propinavi, ſub cujus uſu alvus per ſeptem dies continuos ter qvaterve illo cum effectu ſubducta fuit, ut modo levia veſtigia dictorum ſymptomatum præſertim corpore extra lectum frigeſcente recurrerent; rarius ideo & modò pro neceſſitate laudata mixtura ingere-

ba-

batur ſimulqve ad nervorum nimis facilem motum impediendum liqvor antiſpaſticus bis terve per diem porrigebatur, qvibus noſtra, tribus in noſocomio ſeptimanis finitis, ſanabatur. Nervorum morbi, & ſine dubio præſens qvandoqve ob dolorum vehementiam & ſedem in partibus nobilibus medicos in timorem & falſam ſuſpicionem inflammationis inducunt, tunc fruſtra imo pernicioſe venæſectionibus, camphoratis aliisqve antiphlogiſticis agitur; vagus verò in hoc caſu ſymptomatum recurſus, abſentia febris, & frigus crurum ſpasmodici morbi ſat certum indicium mihi ſufficientia videbantur ſigna hyſteriæ, cujus irritamentum impuritates eſſe inteſtinales ex alvi ſegnitie meritò concluſi; qvam & de natura & de cauſa morbi ſententiam illi ſuperſtructæ medelæ fauſtus eventus ſine dubio probat.

6. Hepatitide gravi apud virum 40 annorum per repetitam venæſectionem & camphorata ſanata, reſtitit tamen nonnulla oppreſſio regionis hepaticæ cum alvo ſegni, atqve faciei colore pallido-flaveſcenti, incipientem ideo infarctum hepatis timens in uſum traxi reſolventia ſc. ungventum mercuriale extus, atqve tincturam rhei cum ſolutione tartari tartariſati, nec non pillulas ſaponaceas cum pulvere alterante intus adhibitas; paucis

posthæc elapsis diebus resurrexit dolor inflammatorius hepatis cum prægresso frigore & concomitante febre, hisce etiam altera vice per antiphlogista, venæsectionem repetitam, & camphorata devictis, pristina tamen superfuerunt signa infarctus, qvem nunc lenioribus resolventibus sc. pilulis e sapone veneta, extracto fumariæ, gummi ammoniaco depurato & pauxillo aloes aggressus prospere fugavi. Nonne hæc historia nos monet, infarctum hepatis, qvando juxta hanc aliamqve experientiam effectus est hepatitidis mox prægressæ, cautius nec nimis validis resolventibus tractandum esse, ne irritante vi medicaminum inflammatio reproducatur?

7. Dolor cardiæ & hypochondrii dextri cum adjuncta diarrhœa duobus mensibus fœminam 32 annorum afflixerat; inunctionem mercurialem dolentis loci & contra diarrhœam decoctum album atqve animam rhei præscripsi; alvo sic naturali reddita, loco decocti albi, graminis & taraxaci decoctum, & animæ rhei solutionem tartari tartarisati appositam propinavi, verum citò diarrhœa recrudescebat, qvapropter seposita mixtura rhabarbarina, dabatur pulvis radicis gei urbani ad cochleare minus bis per diem simul cum inunctione & decocto solvente, sic diarrhœa sedabatur & dolor infarctum indicans post tres

men-

menſes ceſſabat. Inter caſus ſanatu difficiles meritò ponendus eſt infarctus viſcerum cum diarrhœa complicatus, utpote unius morbi medela alteri oppoſita eſt, roborantia ſc. & ſiſtentia diarrhœæ proficua infarctui vix non noxia judicentur, & qvæ huic qvadrant, reſolventia, diarrhœæ domnoſa imo ob eandem inutilia reddantur; allato tamen exemplo probatur, roborantia modica non impedire vim reſolventium medicaminum.

8. Diarrhœa habitualis apud virum 35 annorum ortum primum ante tres circiter annos habuerat in Bengalia ut retulit æger, a potu frigido, dum incaleſcebat corpus, ingeſto, tunc ultra duos annos duraverat cum dejectione mucoſo-ſangvinea & dolore ſcindente medii abdominis. Poſt ſumta qvædam remedia hic fluxus trimeſtri ſpatio ſedatus e novo duobus menſibus aderat ſimili ac prægreſſo modô, corpus inveni emaciatum, appetitum qvidem bonum, ſed ventriculum male ab ingeſtis habentem; mox dedi pulverem radicis gei urbani ad cochleare minus bihorio, diarrhœa hinc initio minuta fuit ſub aggreſſo dolore vago capitis & corporis, dein vero ille fluxus ad priſtinum gradum rediit & allati dolores evanuerunt; geo ſolo ideo non ſufficiente, compoſitum porrexi pulverem e radicis gei urbani partibus duabus, corticis ſimarubæ

caſcarillæ ana parte una ad cochleare minus trihorio, alvus hinc ſat brevi tempore reddebatur naturalis, tunc autem ſurrexit dolor hypochondrii ſiniſtri per venæſectionem ſimplicem ſublatus, ita ut laudato pulvere adhuc per aliqvod tempus prophylaxeos ergo bis per diem adhibito noſter noſocomio ſanus valedixerit. Accidit etiam huic ægroto, qvod in aliis ſimilibus obſervatum antea retuli, diuturno ſc. fluxui alvino ſedato ſucceſſiſſe dolores unius aliusve partis corporis, nonne hi adſcribendi ſunt plenitudini humorum ob inhibitam largam ſolitamqve excretionem productæ? Hanc per ſe probabilem ſententiam ſublatio talis apud noſtrum doloris per venæſectionem demonſtrare videtur. Compoſiti allati pulveris efficacia præ geo ſolo memoriæ qvoqve commendanda eſt.

SECTIONES:

9. Febris putridæ graviſſimis ſymptomatibus ſc. inſigni ſtupore, delirio, motibus convulſivis præſertim brachii dextri, pulſuqve potius tardo, qvam celeri afflictus juvenis 18 annorum die morbi 23tio ſub ſumma inqvietudine & clamoribus exſpirabat. Diſſecto cadaveris cranio dura mater ubiqve admodum rubra apparebat; ipſa vaſa omnia & ſinus cerebri ſangvine repletiſſima erant, ventri-

triculi laterales imprimis dexter, nec non baſis cranii largum ſerum continebant. Qvod antea notavi, hac experientia confirmatur, ſc. tardum in febribus pulſum encephali gravem & periculoſam affectionem deſignare; nonne convulſio dextrum ægroti latus potiſſimum agitans derivari poteſt e largiori extravaſato in ventriculo dextro reperto, ejusdemqve majori irritatione; numne aliter comparatum eſt cum cauſa cerebrum comprimente ac cum cauſa irritante? Prioris effectum in oppoſito corporis latere exſeri ſat probatum eſt, poſteriorem verò ſimili modo agere adhuc dubium.

10. Delirio gravi qvatuor dierum, ut nobis referebatur, mox poſt epilepſiam exorto vir 38 annorum laborabat, oculos, faciemqve valde rubeſcentes, manus trementes, pulſumqve celerem habens, eadem, qva ad nos venit, veſpera ſangvis per venæſectionem & hirudines temporales, imo inſeqventi nocte per aperturam venæ ob violentas ægri agitationes renovatam largiſſime effluxit, altero mane diei ſc. qvinti morbi pulſum ægroti maxime depreſſum inveni, & poſt aliqvot horas rediit paroxysmus epilepticus morte finitus. Sub diſſecto cranio mox in conſpectum venit notabilis ſangvinis effuſi copia, dura mater inſigniter rubeſcebat & e

vaſis ejusdem valde diſtentis ſangvis propullulabat; inter duram & piam meningem ſerum nonnullum extravaſatum aderat, inter hanc verò & cerebrum ipſum imprimis illius lobos poſteriores liqvidum ſpiſſum gelatinoſum illi, qvod per veſicatoria extrahitur, haud diſſimile larga copia invenimus, vaſa præterea & ſinus cerebri ſangvine valde turgeſcebant, in ventriculis lateralibus & baſi cranii largum ſerum & plexui choroideo variæ adhærentes hydatides apparebant. Haud mirum eſt, tantam cerebri læſionem morbum tam validum citoqve funeſtum produxiſſe; ſingularem, qvæ circa cerebrum reperiebatur, colluviem ſeroſam in culpa fuiſſe, dubitari neqvit, qvænam vero hujus cauſæ fuerit origo, ſive rheumatica, ſive arthritica, ſive alia materia aliunde ad cerebrum converſa? Hoc ignorantes ſtatum ægroti prægreſſum, nobis haud indicatum, definire non valemus.

MARTIUS.

1. Febre biliosо-putrida 30 perſonæ, qvatuordecim levius, ſedecim gravius ægrotabunt. Qvandam epilepſia ſub vigore morbi in-

invadebat aliqvoties reverſa, per hirudines temporales, moſchum, veſicatoria tam brachiis qvam nuchæ applicita intra paucos dies fugata. Apud alteram morbo evanido ſuccédebat dolor pulſatorius utriusqve regionis temporalis periodicus poſt emetici effectum mutatus in odontalgiam, qvæ poſt triplicem etiam periodicum recurſum ſub uſu cremoris tartari cum nitro ceſſabat. Qvatuor moriebantur, duo, ut videbatur, ſola debilitate jam ante introitum ad ſummum faſtigium provecta, tertius ob metaſtaſin ad pectus cum inſeqventi phthiſi, qvartus ſpirituoſis valde deditus die 17mo apoplexia lethali tactus fuit.

2. Febre pleuritica undecim laborabant, qvorum duo moriebantur, unus jamjam ante hunc morbum pectoris chronico morbo afflictus, alter, cujus hiſtoria inter diſſectos memoratur. Apud qvendam 30 annorum fortis conſtitutionis qvarto morbi die, qvo æger ad noſocomium venit, pleuritidi ſucceſſerat phrenitis graviſſima, mox eadem veſpera mittebatur ſangvis; die qvinto mane ſangvinis unciæ duodecim & per hirudines temporales & dein veſpera plus qvam menſura ſangvinis educebantur per ſectam venam, alvus præterea potu purgante laxabatur; die ſexto, perſiſtente adhuc delirio gravi, ſangvis ultra duas libras per phlebotomiam ef-

fluxit, hora posthæc elapsa somnus advenit qvietus aliqvot horarum, qvo finito æger mentis prorsus compos redditus, nonnullam debilitatem & cephalalgiam qverebatur, qvæ usu mixturæ camphoratæ cum moscho sat brevi tempore tollebantur. Possibilem qvamvis sat rarum pleuritidis transgressum in phrenitidem atqve antea in hac laudatam utilitatem e largissima sangvinis eductione historia hæc docet & confirmat.

3. Intermittente febre nonnulli laborabant, sex sc. qvotidiana, qvi omnes salinis & emetico sanabantur, qvinimo qvidam qvotidiana jam mensis spatio afflictus, præmissis salinis & emetico, sumsit corticem, verum febris periodica in continuam vertebatur, repetito emetico, periodi redierunt, & dein pulvere digestivo ad qvartanam prorsus tollebantur; tertianæ oppositio modo sese monstrabant salinis & emesi non sedandæ sed cortice opus habentes, illoqve juvatæ, apud qvandam ita sanatæ febri succesſerunt signa obstructi hepatis pillulis saponaceis cum pauxillo aloes profligatæ absqve reversione febris; altera olim febre crebro recidivante vexata demum ob symptomata infarctus hepatis in nosocomio susceptа fuit; adhibitis per aliqvod tempus resolventibus, locum obstructi hepatis subiit tertiana, qvam ob metum

tum reproducendi infarctus haud cortice ſed continuando reſolventia, animam rhei cum ſolutione tartari tartariſati, pillulas ſaponaceas & ſuccum recentem herbarum proſpere debellavi. Diverſa in allatis exemplis monſtrata medicaminum actio ſc. ſolventium & evacuantium utilitas in qvotidianis, & oppoſita corticis valentior vis contra tertianas mihi indicare videntur differentem harum febrium naturam, & qvod prioris potius magisqve, qvam poſterioris typi febres methodum ſolventem & evacuantem deſiderent.

4. Scabioſum exanthema præ aliis annis hoc & inſeqventibus menſibus ægrotos moleſtabat, qva occaſione efficaciam hujus ad varios morbos producendos didici; in aliis febriles motus, in aliis dolores artuum vel moleſtam pectoris oppreſſionem, qvæ omnia ſcabie bene efflorescente ceſſabant, obſervavi. Duo poſt ſcabiem ungventis retropulſam auditu difficili affecti erant, imo horum unus prorſus ſurdus reddebatur, demum poſt longum uſum balnei cum aliis ſcabioſis, nec non adhibitum induſium alterius ſcabioſi nonnullus producebatur corporis pruritus cum furunculis ſcabiei ſimilibus, unde auditus parum melior haud veró integre reſtitutus fuit. Apud qvadragenariam tumorem hydropicum extremitatum inferiorum, atqve abdominis

cum ſcabie aliqvali ſicca ſerius aggreſſa junctum inveni, propinata emulſione ammoniacali indeqve diureſi aucta evanuit tumor, ſcabies verò eò largius provenit per remedia ſulphurea dein ſanata, qvam ſalutarem miasmatis ſcabioſi evolutionem, reſolventi medicaminis virtuti adſcribere vix iniqvum eſt. Puer 9 annorum poſt ſcabiem ungventis retropulſam diarrhœa jam biennio laborabat cum excretione qvandoqve ſangvineo-mucoſa, poſt exhibitam ipecacuannham dedi pulverem radicis gei urbani bihorio, ope cujus alvi fluxus ſex hebdomadum ſpatio ſenſim ſedatus fuit & ſcabies levis dein ſponte ſiccata provenit. Qvidam 33 annorum poſt ſcabiem topicis fugatam jam dimidio anno valetudinarius erat cum tuſſi, dyſpnœa, ſputo puriformi, debilitate, proſtrato appetitu, flaveſcente facie, tumore levi crurum, alvoqve laxa, qvibus nuper levis efflorescentia ſcabioſa acceſſerat; ægrotum hunc qvoad ſymptomata fere deſperatum propter morbi originem forſan ſanabilem in noſocomio ſuſcepi; diarrhœa per pulverem gummi arabici bihorio ad cochleare minus ſumtum ſedata, ſcabiei largam eruptionem promovit pulvis e floribus ſulphuris & oculis cancrorum paratus, per qvem ſimul cum juſculo ſecalino adhibitum allata ſymptomata ſenſim in melius & demum ſanitatis reſtitutionem convertebantur. Al-

ter

ter 24 annorum per tres hebdomades lumbagine moleſtiſſima, nec non dolore & rigiditate totius ſpinæ dorſi, ita ut truncum flectere neqviverit, atqve oppreſſorio dolore pectoris afflictus freqventi venæſectione & camphoratis parum levabatur, verum dein ſponte & largiter erumpente ſcabie ab omni dolore liberatus fuit. Maxime notabilis erat hiſtoria fœminæ 36 annorum, qvæ duobus menſibus valatudinaria fuerat cum tuſſi ſicca, dyspnœa, oppreſſione cardiæ, anorexia, ſapore amaro, vomitu admodum freqventi, nec non ſuppreſſione menſtrui fluxus, emeticum mox initio porrectum, aliàs clysmata, camphorata, mixtura riverii duodecim diebus fruſtra tentabantur, ſymptomata nilominus continuabant, vomitus omnis ingeſti adfuit, cum alvo ſemper per ſe clauſa & increſcente debilitate, ob accedentem demum dolorem cardiæ qvaſi ab excoriatione interna ad ſuſpicionem acrimoniæ cujusdam horum malorum matris ductus propinavi infuſum radicis ſaleb ad cochlearia duo bihorio, & lac tepidum loco omnis alterius nutrimenti, poſthac mox vomitus ceſſabat & elapſis qvatuor diebus apparebat ſcabies, qvam ægrota noſtra nunqvam antea paſſa erat, nec ulli commercio cum aliis ſcabioſis adſcribere poterat; exanthemate hoc magis magisqve ſub allata medela prorumpente, omnia ſymptomata ſenſim evanuerunt,

al-

alvusqve naturaliter fluxit, qvo ſcopo potitus demum ſcabiem ipſam mixtura antiſcorbutica reſolvente fugabam. Puella 19 annorum nondum menſtruata jam menſis ſpatio tumore hydropico totius corporis cum aliqvali ſcabie laboraverat; ſub uſu cremoris tartari & florum ſulphuris intra tres hebdomades tumor ceſſavit, ſcabiesqve increvit, nunc balneum in uſum trahebatur, & ob alvi laxitatem loco pulveris mixtura antiſcorbutica reſolvens, ſub qvibus ſcabies ſiccabatur, ſimulqve oriebantur oppreſſio pectoris, tuſſis ſicca, nonnulla obauditio, faucium dolor, alviqve laxitas cum pulſu celeri; veſicatoriis primo in nucha dein in ſuris, emulſione camphorata ſenſim internæ corporis partes a morbi materie, ejusqve effectibus liberabantur, cutisqve e contra ſcabie abundabat; jam tempore vernali ſuccus recens herbarum & ſerum lactis adhibebantur absqve effectu, ſcabies tamen largiter floruit paſſim ulcerum notabilium imprimis in cruribus ſpeciem habens, aliis multis ideo fruſtra tentatis mercurium dulcem initio ad duo dein ad tria imo qvatuor grana omni veſpera & mane porrexi ultra integrum menſem, cujus uſu nulla ſalivatio, verum alvus ter qvaterve die movebatur, & ſcabies atqve ulcera pro parte ſiccabantur; finita ideo etiam hac tanqvam non ſufficienti medicatione ulcus cruris ſiniſtri præſertim no-

ta-

tabiliter increvit, & a chirurgis insanabile declaratum fuit; attamen reparatis ægrotæ viribus ultimum, ne juvenis hæc totam vitam ageret miseram & valetudinariam, experimentum ad pertinax illud miasma eradicandum facere ausus fui, extus sc. inunctionem mercurialem & simul intus pulverem e mercurii dulcis granis tribus, corticis cascarillæ granis qvinqve, oculorum cancrorum scrupulo compositum mane & vespera præscripsi eo fine, ut alvus haud laxaretur, qva methodo salivatio largissima promota mensisqve spatio protracta & scabiem & ulcus funditus curavit. Qvod alia multa exempla mihi sat certum reddiderunt, etiam allato casu confirmatur, mercurii actionem tantum esse sufficientem saltem longe completiorem, dum salivationem copiosam movet, qvam si aliam vel nullam excretionem efficiat. In universum e recensitis experientiis seqventem doctrinam inferre licet: 1) Scabiosum morbum alterius epidemiæ adinstar plures simul homines invadere posse, talem hoc anno grassationem duæ me judice tantum causæ vel conjunctim vel singulatim agentes producere valebant, sc. aut hyemale frigus solitò diuturnius & gravius, qvo excernenda per cutem materies retineri, colligi & in acrimoniam rudiorem ad cutis poros permeandos ineptam illosqve ideo inflammantem formari poterat,

terat, aut corruptela communis aqvæ Havnienſi hac hyeme, qvamdiu fontes conglaciati erant, adhærens ſc. rubeſcens color, abundantia particularum terreſtrium, odor ſaporqve malus ad putreſcentem vergens, adeo ut melioris notæ familiæ hanc aqvam non niſi coctam ad cibos parandos adhibuerint, qvam cautelam inferior plebs ignorantiæ vel pauperatis ergo neglexit; vix autem dubitari poteſt, qvin tale ingeſtæ aqvæ vitium corporis humoribus communicari, illosqve impuros reddere potuerit. 2) Scabioſum miasma diverſas corporis partes occupando, illasqve vario gradu afficiendo omnis fere generis morbos tam univerſales qvam locales producere poſſe, ſc. ut ſupra memoratis experientiis demonſtratum eſt, motus febriles, dum maſſæ circulantis ſangvinis admixta eſt hæc peregrina materies, hydropem, dum in cellulоſo textu, aliisve cavitatibus abundat humoresqve ad reſorptionem ineptos reddit, aliàs diarrhœam habitualem, dyſentericam, phthiſin, ſurditatem, dolores artuum & ſic porro ſi materia ſcabiei metaſtatico modo a maſſa humorum ſeparetur & ad certam corporis partem in ſpecie deponatur: Fœcundum ideo hunc & apud inferioris ſortis homines ſat freqventem morborum fontem medicum in examinandis cauſis verſantem diligenter reſpicere opportet, præſertim

cum

cum morbi ex hac origine fluentes per remedia eidem propria ſc. ſulphurea non raro ſunt juvanda. 3) Scabioſum miasma internis partibus adeo noxium non modo ortum trahere e puſtulis cutaneis intempeſtive ſiccatis, ſed etiam absqve tali reſorptione, ex aliis cauſis in corpore generari, atqve læſiones easdem, ac e retropulſa ſcabie producere poſſe, qvam ſententiam varii in hiſtoria noſtra allati morbi, efflorescentia ſcabioſa ſublati, conteſtari videntur.

5. Arthritici dolores ſat pertinaces apud virum 29 annorum per remedia ſolita tollebantur, excepto dolore valde moleſto in intima parte calcanei ſiniſtri hærente & ambulationem impediente, tentatis balneo vaporis, ſinapismo, hirudinibus absqve juvamine, immiſſionem pedis in aqva frigida præſcripſi, qvod auxilium brevi tantum tempore aliqvoties adhibitum nullius efficaciæ erat, dein ideo per dimidiam horam hac methodo pes prorſus perfrigeratus fuit cum optato effectu. Qvamvis talis medela repellendi & ad alias partes convertendi morbi metum haberet, attamen tutiore remedio non juvante permiſſa erat, præſertim cum malum exinde timendum ſanabile æſtimari poſſet.

6. Hydrope anaſarca cum oppreſſione pectoris, ſuſurru capitis, ſomnolentia inſigni afflicta erat fœmina 44 annorum; affectionem capitis, qvam e ſero circa encephalum abundante deduxi maximeqve timui, mox nuchæ applicitum veſicatorium tollebat, reliqva autem ſub uſu animæ rhei & infuſi juniperini auctisqve ſimultaneo tempore omnibus excretionibus, urinæ, alvi atqve præſertim ſudoris, qvi ultra menſem omni nocte largus effluxit, ſanabantur. Cum ratio excretionum communis ſit, ut una adaucta altera minuatur, eò notabilior cenſendus eſt hic caſus, qvid natura contra proprias regulas efficere valeat, demonſtrans.

7. Colico dolore vir 25 annorum jam novem diebus laborabat cum obſtipatione alvi, vomituritione, ſiti inſigni; initio morbi ægrotus a medico qvodam emeticum & dein ob pertinacem obſtructionem laxans jalappinum qvibus potius nocentibus qvam juvantibus, demum medicus ille inflammationis ſuſpicionem conceperat & duplicem venæſectionem inſtituerat, adhuc ter e vena ſangvinem phlogiſticum eduxi & aliàs emulſionem camphoratam intus præbui, qvibus biduo in ſolatium ægroti peractis, alvi apertura per clysma oleoſum promovebatur; die 12mo alvum ſponte depoſuit æger

cum

cum insigni levamine doloris abdominalis, verum sensum molestum regionis ventriculi ut ab excoriatione incusavit, & lingvam reperi aphtosam, decoctum radicis saleb ideo porrectum fuit ad cochlearia duo majora bihorio, sub cujus usu alvus laxabatur, paucisqve diebus æger fuit restitutus. Symptomata allata morbum hunc fuisse inflammationem tractus intestinalis satis declarant, verum me judice singularem illius speciem, superficialem puto, & leviorem, qvæ modo tunicam villosam occupaverat, sc. ob lingvam aphtosam alii enteritidi non accedentem, & in hoc casu sine dubio signum similis ventriculi vel intestinorum affectionis, ob sensum excoriationis, & demum qvia adhibita drastica in alia graviori inflammatione certo funesta morbum tamen nostri haud incurabilem reddiderant.

8. Nystagmo s. nictitatione involuntaria oculi sinistri, qvotiescunqve visus solito magis ad objecta intendebatur, revertente & post colicam spasmodicam oborta jam per dimidium annum vexabatur æger alterius morbi gratia in nosocomio susceptus, qvod symptoma palpebris freqventer per oleum hyosyami inunctis juvabatur.

SECTIONES.

9. Pleuritis lateris ſiniſtri virum 25 annorum tribus jam ſeptimanis ob tuſſim & dolorem vagum pectoris valetudinarium invadebat; venæſectio freqventer inſtituta, expectoratio per aliqvod tempus bene procedens, aptaqve artis adminicula non impedire poterant, qvin æger ſub notabiliter adaucta dyspnœa & ſputo demum ſuppreſſo diem morbi duodecimam cum morte commutaverit. Aperti thoracis cavitas ſiniſtra largam cópiam puris tenuis continebat, pulmo ipſe facciformis reperiebatur, in exteriore parte rupturam tres pollices longam habens, per qvam introducti digiti pulmonem hunc, excepta tertia ſuperiore parte, in pus mutatum detegebant, membrana hanc materiem includens valde compacta craſſitie duarum linearum gaudebat; pulmo dexter erat ſanus. Vix probabile eſt, qvia ſolito modo non convenit, tantam pulmonis ſuppurationem brevi pleuritidis tempore completam fuiſſe, ſed veroſimilius, eandem ſub prægreſſa pleuritide occulta, qvæ non rarò phthiſin clanculum infert, incepiſſe.

10. Senex 66 annorum poſt prandium ſolito appetitu ingeſtum & inſuper hauſtam cereviſiam de anxietate & dyspnœa qverebatur,

tur; hora ſeptima veſpertina lipothymia, ut ab adſtantibus dicebatur, potius forſan apoplexia dicenda tactus media dein nocte rationis expers inter ægrotos noſocomii receptus fuit, & poſt paucas elapſas horas exſpiravit. In pectore cadaveris, excepta levi adhæſione pulmonis dextri cum coſtis, omnia naturali modo ſe habuerunt, in abdomine ventriculus adhuc juſculo carneo & fruſtis magnis daucorum hortenſium repletus, nullus autem viſcerum præternaturalis ſtatus; in cranio paucum ſerum inter piam matrem & cerebrum nec non in ventriculo laterali dextro. Vix unicum in hoc cadavere repertum vitium, ſ. paucum juxta encephalum extravaſatum ſerum ut cauſa citiſſimæ mortis æſtimari poteſt, dum multæ docent experientiæ, longe majorem collectionem fieri, antequam funeſtum exſerat effectum; nonne ideo hoc exemplum probat, conditas dari cauſas, quæ curſum vitæ ſiſtere valent.

11. Delirans fœmina 38 annorum valde inquieta cum pulſu debili, quæque, ut ab aliis referebatur, per duos menſes vomitu frequenti & dolore gravi regionis cardiacæ ægrotaverat, adhuc in noſocomio quatriduo vixit, ultimoque die paroxysmum apoplecticum paſſa fuit cum inſequenti ſtupore lethargico per mortem demum finito. In cranio cada-

veris diſſecto vaſa cerebri ſangvine valde turgida conſpiciebanrur, ventriculus lateralis uterqve & baſis cranii ſerum largum continebant, in thorace pulmo dexter ad coſtas accretus & ſphaceloſus, in abdomine hepar magnum maculis flaveſcentibus in ipſa ſubſtantia penetrantibus variegratum, totumqve fere inteſtinum ileum ſphacelo correptum inveniebantur. Num vitia cavitatum inferiorum, pectoris & abdominis impediendo circulum ſangvinis læſionem cerebri ejusdemqve funeſta ſymptomata produxerint, aut communis cauſa omnes ſimul cavitates aggreſſa fuerit? Sub ignoto & nobis haud indicato toto morbi decurſu hoc definiri neqvit.

APRILIS.

1. Febris bilioſo-putrida 19 perſonas, ſeptem modice, reliqvas gravius detinuit; inter priores morbus continuus aliqvoties ſub progreſſu & factis evacuationibus transibat in febrem intermittentem. Qvidam ad ſummas anguſtias erat redactus cum ſtupore & debilitate inſignis gradus, aphtis, tuſſi demum cum ſputo puriformi, verum nullo modo ad ex-

pecto-

pectorationem promovendo, sed semper cum ad fauces provenerit, iterum deglutito, qvod vix non semper funestum comperi symptoma: Validissimis expectorantibus incassum adhibitis, qvid vomitus valeret, tentare ausus fui, ideoqve solutionem tartari emetici per cochlearia ad effectum præbui, mucosa hinc evomebantur, verum periculum morbi manebat idem; hinc post duos dies repetii emeticum, qvo materia larga partim puriformis partim mucosa ejiciebatur, & ægri status adeo in melius vertebatur, ut dein sub usu decocti e cortice peruviano & radice senega parati prorsus restitutus fuerit: Anceps hoc remedium tanti fuit juvaminis, ut in simili periculo tanqvam unicum repeti debeat; apud alios qvidem experimentum idem sine optato effectu attamen etiam impune institui, verum semel juvans nullo præstat remedio. Unicus ex his ægrotis moriebatur sub summæ ad encephalum congestionis signis & gangrænosa haud domanda corruptione tam lumborum qvam crurum, ubi vesicatoria applicita erant.

2. Febres intermittentes numerosæ imprimis tertianæ etiam hoc mense magis qvam qvotidianæ cortice opus habentes; in multis scabies febri juncta erat, aut illi decrescenti supervenit. Apud trigenariam febri bimestri

ob annexam diarrhœam appoſui pulverem radicis gei urbani, alvi laxitas hinc ceſſavit; ſuperſtite autem febre, qvæ dein cortice peruviano ſenſim, ſed plene ſanabatur. Apud aliam qvotidiana ſponte evanida, mox oriebatur tumor parotidis, primo unius, dein ſimul alterius lateris veſicatorio nuchæ ſublatus. Qvædam 33 annorum qvartana integri anni laborabat, nec non infarctu hepatis ſc. dolore oppreſſorio conſtanti cardiæ & hypochondrii dextri; hoc per animam rhei cum ſolutione tartari tartariſati, ſuccum recentem herbarum atqve inunctionem mercurialem ſpatio trium hebdomadum adhibita fugato, febrem tamen perſiſtentem ſenſim diminuit & demum prorſus fugavit pulvis corticis noſter ad qvartanam ſc. e corticis peruviani uncia, ſalis ammoniaci puri drachmis duabus, rhei drachma paratus; ſub tali connubio febris & infarctus, ſive diſpoſitionis ad eundem maxime conveniens mihi videtur & allata compoſitio, & modus illius agendi ſucceſſivus, dum e fortiori medicamenti conſtrictione recidivans obſtructio haud immerito timeri poterat.

3. Hepatalgiam aliqvot menſium cum reliqvis ſignis infarctus, alvo ſegni, augmento doloris poſt ingeſtos cibos apud duas fœminas pilulæ ſaponaceæ, ſuccus recens herbarum & inunctio mercurialis in parte affecta ſa-

ſanabant. Alter verò ſimili morbo ægrotans maximum percepit emolumentum e ſuppuratione affecti lateris primo per veſicatorium ſuſcitata & dein ſponte ultra menſem continuante.

4. Diarrhœa, abdomine tumido, interdum dolente, tinea capitis & ſimilibus ulceribus cruſtoſis ipſius faciei, atqve demum tumore œdematoſo crurum puer 9 annorum dimidio anno ægrotaverat & maxime emaciatus erat, alvi fluxus pulvere radicis gei urbani & decocto albo initio adhibitis diminutus, dein ſub uſu compoſiti pulveris e geo & vermifugo & evacuatis nonnnullis lumbricis prorſus naturalis reddebatur, qvo facto & viribus qvodammodo reſtauratis, contra tineoſam cruſtam mercurium dulcem diu modò ad levem ſalivationem porrexi, itaqve hunc miſellum ad vitam & ſanitatem integram revocavi.

5. Cephalalgia vertiginoſa per intervalla gravior, vomituritio continua, abſceſſus in latere capitis dextri infra os bregmatis fœminam 52 annorum menſis ſpatio afflixerant; hirudines temporales, laxantia, veſicatorium nuchæ, rita deligatio abſceſſus, ejusdemqve ſenſim promota conſolidatio non impediebant, qvo minus capitis interna affectio increſcens

jungeretur cum tremore totius corporis, ſomnolentia inſigni, lipothymia demum freqventi, & qvotiescunqve caput erigebatur, nec non excrementis involuntariis pulſuqve ſemper lento; præter ſupra allata auxilia etiam ſetaceum nuchæ applicitum fuit, menſis ſpatio ita tractata ægrota, ſed qvotidie pejor, ſui haud conſcia, muta, citoqve, ut videbatur, moritura die 29 Maji vero & gravi apoplectico inſultu corripiebatur, nunc ſangvis mittebatur phlogiſticus & poſt aliqvot horas altera vice, qvo facto, oculos, qvaſi e ſomno profundo experrecta aperiebat ægra, liqvor nervinus dein bihorio dabatur, tertio poſt apoplexiam die mens rediit, & qvinto tota facies eryſypelate notabili intumuit, qvod ſemel inſtituta venæſectione iterum poſt qvatuor dies decrevit, pulſus antea lentus celeritatem naturalem recepit, & nil præter levem vertiginem qverebatur ægra; capite autem ita fere reſtituto, ſubito acceſſit tumor notabilis prope ſcapulam dextram, e qvo cito maturato & inciſo largiſſimum pus effundebatur; ſanato dein hoc abſceſſu noſtra qvoad omnia & contra omnium ſpem reſtituta noſocomium reliqvit. Nonne pus ex abſceſſu capitis externo reſorptum & ad encephalum depoſitum gravis ejusdem paſſionis fuit cauſa? Nonne aucti naturæ conatus & validior vaſorum actio, ſqvibus paroxysmus apoplecticus

for-

forſan adſcribendus eſt, ſimul materiæ nocivæ ſolutionem ejusdemqve ad partes externas rejectionem, indeqve faciei eryſipelas & collectionem puris circa ſcapulam effecerunt? Etiam hic notari debet tarditas pulſus, qvæ ut in aliis exemplis ſignum afflicti cerebri conſtituit.

6. Scabies hoc ut prægreſſo menſe cæteris morbis crebro adjuncta erat, imprimis febribus intermittentibus, qvibuscum, ut alia me docuit experientia, ſingularem affinitalem habere videtur. Cuidam doloribus rheumaticis imo tumore articulorum per ſex hebdomades graviter afflictæ ſuperveniens ſcabies, qvam nec antea paſſa erat, nec infectioni adſcribere poterat, maximum mox attulit levamen, & ut articularis morbus ſolito citius ceſſaverit, certo effecit. Altera, ſcabie ungventis retropulſa, in peripneumoniam incidebat, unica inſtituta venæſectione & exhibitis camphoratis mox ſcabies ad cutem reverſa pectus liberabat. Apud aliam hepatalgia qvatuor hebdomadum cum alvo ſegni poſt ſumtum pulverem rhei cum nitro & camphora alvumqve inde laxatam mox mutabatur in dolorem iſchii dextri, qvi poſt octo circiter dies ſub ſcabie efflorescente prorſus ceſſabat. Qvidam totum corpus ſcabioſum ungvento mercuriali inunxerat, qvo mox

ſcabies ceſſabat, verum ſimul oriebatur fluxus ex ore largus primo meri ſangvinis dein ſalivæ, qvi jam menſe durabat cum ulceribus magnis in ore, deglutitione moleſta & notabili rigiditate in juncturis maxillarum, qvæ difficulter & imperfecte a ſe invicem dimovebantur. Collutione oris per infuſum radicis altheæ, purgatione freqventi, veſicatorio nuchæ, pediluviis ſat diu opus erat, antéqvam æger noſter tamen absqve reverſa ſcabie ſanatus fuit.

SECTIONES.

7. Qvotidianæ unius menſis cum ſcabie afflicta qvadragenaria ſubito corripiebatur dolore gravi pectoris ſiniſtri absqve tuſſi, vena mox & inſeqventi biduo qvater ſecta, atqve veſicatorio dolenti parti applicito ceſſabat allatus dolor, febris non rediit, verum enormi ſuperſtite debilitate & reſpectu ſimul habito ad prægreſſam febrem, decoctum corticis peruviani porrigebatur, attamen octavo die poſt acceſſum doloris ſub ſtrepitu pectoris moriebatur ægra. Aperti thoracis cavitas ſiniſtra largum ſerum continebat, pulmo ibidem in exigua parte ad coſtas coalitus, aliàs ſanus, pulmo dexter ubiqve coſtis annexus, qvoad ſubſtantiam verò ſanus. Nonne febris ceſſatio ſub aggrediente dolore indicat,

ma-

materiam ejusdem ad pectus depositam, in cadavere dein repertam irritando produxisse dolorem & dein comprimendo mortem ipsam, imprimis dum coalitio totalis sine dubio inveterata pulmonem dextrum a debita functione impedivit.

8. Contabescentia alius qvadragenariæ demum post qvatuor menses funestum terminum attigit, intereaqve juncta fuit cum vertigine continua, susurru aurium, diarrhœa cum vel absqve dolore abdominis, hepatalgia minus magisve perceptibili, frigore febrili freqventi irregulari, flavescenti facie & aurantio urinæ colore, tumore non nullo œdematoso crurum, anorexia sub progressu morbi & demum ultimis vitæ diebus aberratione mentis & motu convulsivo brachii sinistri. In cadaveris aperto abdomine hepar & glandulæ mesenterii indurata, lien naturali volumine duplo major, in pectoris cavitate utraqve magna copia seri sangvinolenti, in cranio serum largum inter duram & piam matrem, nec non in ventriculis lateralibus imprimis dextro atqve basi cranii, lobi qvoqve anteriores cerebri in inferiore superficie parum inflammati, cum dura matre concreti inveniebantur. Infarctus viscerum abdominalium sine dubio sufficit ad intelligendam consumtionem nostræ ægrotæ hecticam, ut-

pote

pote illius ergo materia nutritia nec rite præparari nec reſorberi potuit, verum etiam mihi haud improbabile videtur, ex eadem cauſâ reliqva in cadavere reperta vitia ſc. notabile extravaſatum in cavitate pectoris & capitis declarare; nonne enim bilioſa materies propter hepatis obſtructionem in maſſa ſangvinis abundans ſicuti urinam & cutim tinxit, etiam aliis ſeroſis humoribus commixta fuit? Et nonne hinc produci potuit & acrimonia & ſolutio exhalantis liqvidi, itaqve ejusdem tam ob nimium affluxum qvam ob impeditum refluxum morboſa atqve enormis in cavitatibus collectio.

9. Colicam inflammatoriam, qva aliqvoties afflictus erat, jam qvinqve diebus patiebatur vir 40 annorum cum alvi obſtipatione pulſuqve celeri tenſo, pillulas catharcticas jam ſumſerat; vena ſepties ſecta & adhibitis camphoratis ſine mutatione morbi abdominalis nono die ſupervenit paroxysmus apoplecticus, qvi poſtridie per mortem terminabaotur. Diſſecto cadavere, omnia inteſtina partim inflammata partim gangræna correpta inveniebantur, in pectore autem & capite nullus præternaturalis ſtatus. Exemplo hoc probatur, qvod antea obſervavimus, apoplexiam ex abdita cauſa ſine detegendo

apo-

encephali vitio oriri posse; num illa spasmodica censenda est? Num exinanitioni tribuenda?

MAJUS.

1. Febre biliosо-putrida 18 personæ modico, 22 graviori gradu laborabant. Apud qvandam symptomatibus putridis dolor pectoris punctorius, qvi post sex dies sub expectoratione biliosa cessaverat, junctus fuit, in nosocomio adhibitum emeticum & reliqva methodus putridis conveniens juvabant; probabile est, & sputum & pectoris dolorem producta fuisse per abundantiam biliosi humoris e primis viis resorpti. Tres moriebantur, qvidam ob metastasin ad pectus, alter ob adjunctam inflammationem intestinalem, tertius ob morbum ex animi pathemate recidivantem.

2. Febres intermittentes nonnullæ varii typi? Apud qvandam rita præparatione per salina & emesin peracta, adhibitus cortex febrem mutavit in cephalalgiam continuam

cum

cum dolore artuum, qvæ, repetita priore medela, iterum in febrem transibant junctam cum oppreſſorio cardiæ dolore atqve flavedine cutis, in uſum ideo tractis anima rhei cum ſolutione tartari tartariſati atqve decocto radicum graminis & taraxaci, febris iterum evanuit, ſuperſtite cephalalgia continua cum ſignis obſtructi lobi ſiniſtri hepatis; nunc inunctio mercurialis ad locum dolentem intusqve pillulæ e ſaponis venetæ, gummi ammoniaci depurati, extracti cicutæ anaticis partibus ad grana qvindecim ter de die applicabantur, per qvæ ſpatio trium circiter hebdomadum reſtitutio integra abſolvebatur. Qvidam a febre bimeſtri per corticem ordinarium haud ſanabili liberabatur per pulveres febrifugos de Freſcarode, qvorum octo primo biduo, ſc. ſingulis diebus qvatuor, inſeqventi biduo qvatuor, ſc. ſingulis diebus duo conſumebantur. Alterius febrem eadem medicina mox fugavit.

3. Scabies adhuc freqvens; trigenarius qvidam tuſſi diuturna afflictus, mucoſa ſangvine mixta expectorans atqve maxime emaciatus adhibuit kermis mineralis granum, initio bihorio, dein trihorio, nec non veſicatorium pectori admotum, hinc ſcabies magis magisqve efloruit, pectusqve ſenſim & plene reſtituit. Apud alteram ob motus febriles

cum

cum ſymptomatibus bilioſis, qvibus junctum erat œdema crurum, exhibito emetico, provenit ſcabies, ſub cujus eruptione per ſulphurea promota antecedentia ſymptomata ceſſabant. Qvædam valetudinaria per integram relapſam hyemem ob dyſpnœam tuſſimqve ſiccam, qvibus demum annexus erat tumor œdematoſus extremitatum inferiorum, emulſione ammoniacali & juſculo ſecalino utebatur, atqve poſt paucos dies ſub ſcabie efflorescente a reliqvo morbo liberabatur. Emolumentum, qvod in his exemplis kermes & gummi ammoniacum ad evolvendam & propellendam ſcabiem exſeruit, aliis hoc ſcopo non juvantibus recordari opportet.

4. Ad morbos lacteos pertinet ſeqvens hiſtoria fœminæ 49 annorum; ante tres menſes vivum enixa erat infantem, hoc poſt qvatuordecim dies defuncto lac mammas ſubitò reliqverat, & mox inſecuta diarrhœa, qvæ octavo die ſponte evanida, ſtatim ſurrexerat tumor notabilis œdematoſus cruris ſiniſtri hactenus durans, nec non levis tumor circa malleolos cruris dextri, vires jam erant debiles, alvus tamen & appetitus qvodammodo naturales; ſcopo excretiones modice promovendi cremoris tartari unciam dimidiam, rhei drachmam ad cochleare minus ter die atqve infuſum juniperinum præſcripſi, alvi exinde

&

& urinæ fluxus per decem dies adauctus tumorem cruris valde diminuit, verum tunc oriebantur febriles motus cum cephalalgia & dolore vago artuum, ideo in uſum tractis emulſione camphorata & ſinapismis ſub plantis pedum itaqve citato ſudore, ſymptomata febrilia ceſſabant ſub reverſo aliqvali tumore crurum, qvi per pillulas ſcilliticas & infuſum juniperinum brevi tempore fugatus fuit ſine alia ſanitatis noxa ſubſeqvente. Cita mammarum depletio, huic immediate ſuccedens diarrhœa, illam evanidam mox ſeqvens tumor cruris & ſub hoc diminuto orientes febriles motus mihi ſvadent, originem & cauſam morbi fuiſſe materiem lacteam, qvæ vagando hos affectus citavit.

5. Poſt vomitum diuturnum in homine 42 annorum ſpirituoſis dedito qvatuor diebus proximis oriri ceperat, & ſenſim increverat vertigo cum ſuſurru aurium, viſu obnubilato & duplicato, & demum levi delirio, facies & oculi inſigniter rubeſcebant; incipientem phrenitidem ſuſpicans mox venæſectionem præſcripſi, qva ſangvis ad lypothymiam usqve ſc. ad duas menſuras effluebat, inſeqventi mane ob morbum modo parum minutum, duodecim ſangvinis unciæ e vena mittebantur & dein hirudines temporales applicabantur, poſt qvarum effectum

ſymp-

ſymptomatum capitis confeſtim ceſſabant, ſuperſtite levi tremore artuum, qvi uſu liqvoris nervini tollebatur. Vomitus freqvens ſine dubio apud hunc ægrotum pellendo ſangvinem ſurſum occaſionem dederat morbo cerebri, imprimis cum jamjam per ſpirituoſorum vim ad tale malum dispoſitum fuerit. Pro confirmanda antea laudata contra phrenitidem copioſa ſangvinis miſſione etiam hæc hiſtoria inſervit.

SECTIONES.

6. Oppreſſioni cardiæ apud vetulam ſexagenariam imprimis poſt ingeſtos cibos cum anorexia, alvo ſegni, dolore moleſto crurum demum poſt qvatuor menſes jungebatur vomitus, initio rarior dein freqvens qvotidianus & ingeſtorum & qvandoqve materiæ nigreſcentis, per qvem conſumtio hectica menſis ſpatio abſoluta producebatur. Aperto cadaveris abdomine totum inteſtinorum tractum admodum contractum, omentum peritoneo accretum partim in regione iliaca dextra, præſertim vero & ad longam diſtantiam in regione lumbari ſiniſtra inveni; ventriculus debito erat major cum tunicis craſſioribus, pylorus qvoad totam circumferentiam ſchirrhoſus ad latitudinem pollicis, attamen non prorſus impervius; conditionem pylori viti-

oſam morbi noſtri & vomitus hectici demum funeſti cauſam fuiſſe facile intelligitur, initio minor hujus vitii gradus tantum ſymptomata nimis diſtenti & debilitati ventriculi ob remoram nimiam ingeſtorum creavit, poſtea ſenſim adaucta anguſtatio pylori vomitum freqventem & demum continuum ſub tranſitu fere prorſus impedito intulit, cujus neceſſarius effectus erat detractio nutrientis materiæ & conſumtio letalis; reperta ventriculi enormis expanſio & inteſtinorum enormis contractio etiam ex ingeſtorum nimia qvantitate in hoc & defectu in illis facile comprehenditur.

7. Febre putrida laborans, ſeptimo die ad nos ductus vir 37 annorum poſt porrecta debita evacuantia nono die delirabat, uſu hirudinum, epithematis frigidi, veſicatorii, moſchi, camphoræ non melior die undecimo per paroxysmum apoplecticum e vivis tollebatur. Cranio cadaveris aperto, omnia vaſa cerebri & cerebelli ſangvine qvam maxime repleta inveniebantur, inter piam matrem & cerebrum largum aderat ſerum, nec non in omnibus ventriculis & baſi cranii, plexus choroidei ſangvine valde pleni & in proceſſu falciformi excreſcentia oſſea inveniebantur. Num hæc prorſus indifferens fuit? aut occaſionem dedit humorum ad encephalum congeſtioni eorumqve notabili & funeſtæ extravaſationi?

8.

8. Tumorem abdominis fœmina 48 annorum ante qvatuor menſes obſervaverat ſenſim adauctum jam in regione uteri præſentem, ſpeciem graviditatis præ ſe ferentem, cum ſenſu preſſorio moleſto alvoqve ſegni, ipſe percepi tumorem duriſſimum inæqvalem, pulſum debilem, corpus maxime emaciatum; nuper ægrota ab obſtetricante explorata pro gravida erat ſuſpecta: Tertio poſt introitum die demortuæ abdomine aperto, mox conſpiciebatur uterus enormis magnitudinis extus pluribus notatus excreſcentiis, qvæ ſimul cum utero ipſo maſſam ſteatomatoſam conſtituebant, extus hoc corpus materie purulenta obductum & mediante illa cum inteſtinis & peritoneo coalitum fuit, cavitas ipſa uteri pugni capax continuit materiem ichoroſam cineream valde fœtidam, os uteri apertum & digitis pervium. Notabilem hanc degenerationem fas eſt mirari & recordari, & qvatenus docet, viſceris majoris naturalem ſubſtantiam prorſus deleri atqve in corpus peregrinum transmutari poſſe, & qvia cauſa monſtroſi adeo producti comprehendi neqvit, & demum qvia cautionem in dijudicanda graviditate ſvadet.

9. Oedematoſo tumore extremitatum inferiorum poſt ſumtum laxans ejusqve validum effectum evanido, æger 50 annorum

corripiebatur dolore abdominis preſſorio atqve intumeſcentia, alvus tamen manſerat naturalis; variis exhibitis diureticis nec non veſicatoriis juxta ſuras pro morbi materie ad primam ſedem revocanda nil efficiebatur, magis tamen abdomen intumeſcebat diſtincte ſonans vix fluctuans, qvibuscunqve remediis non juvandus morbus poſt tres menſes lethalis reddebatur; verſus finem abdomen ab omnibus ingeſtis male habuit. Aperto cadaveris ventre, ſerum largum flaveſcens effluxit, peritoneum qvoad internam haud externam ſuperficiem nigro colore ubiqve erat tinctum, inteſtina paſſim valde expanſa, alibi contracta, eorum curvatura minor nec non meſenterium multis tuberculis albis graniformibus intus folliculoſis obſita reperiebantur. Hepar cum diaphragmate coalitum valde exiguum imprimis lobus ejusdem dexter ſiniſtro vix æqvalis, qvoad ſubſtantiam haud præternaturale obſervatum, lien etiam admodum parvus. Nonne hoc exemplo certiores reddimur de noxa fortiorum purgantium, dum morbi materies in parte corporis minus nobili hæret? Nonne eorum vi ſerum vitioſum ab extremitatibus ad abdomen directum fuit, ibidemqve irritatione effectus demum funeſtos produxit? Sat ſingulare mihi videbatur, peritoneum potius qvam inteſtina ex hac cauſa inflammatum fuiſſe, etiam notatu digna

eſt

eſt ſine dubio per eandem irritationem generata contractura ſ. anguſtatio morboſa hepatis & lienis, qvale vitium, licet a vero infarctu diverſum, forſan tamen eodem modo ac ille functionem viſcerum impedire valet.

JUNIUS.

1. Febris bilioſo-putrida 46 perſonas, 15 modico, reliqvas gravi & graviſſimo gradu detinuit. Apud qvandam acutiſſimum morbum cum deglutitione moleſta, ſingultu & reliqvis perniciosis ſymptomatibus ſtipatum & tandem die 30mo decreſcentem excepit ſcabies valde larga vix non critica; ſaltem probabile eſt, impuritatem ſcabioſam maſſæ humorum ſimul mixtam morbum reddidiſſe graviorem. Apud qvandam ſub progreſſu morbi poſt evacuantium uſum, ob ſummum ſtuporis & debilitatis gradum dein neceſſario reqviſitis & adhibitis decocto chinæ acido & mixtura camphorata acida, alvus valde laxa reddebatur cum lingva ſordidiſſima, repetitionem emetici virium maxima proſtratio & continuationem roborantium inde citata diarrhœa vetuit, hinc ſoli naturæ evacuationis opus com-

miſi; ſic poſt biduum alvus fiebat naturalis, qvo facto reſumta antiſeptica absqve reverſa diarrhœa ægrotam ſanabant. In multis deglutitio impedita reperiebatur. Qvædam ſeptimo morbi die introducta delirans, haud deglutiens, cum motibus convulſivis, tremore artuum, inſomnia continua, demum poſt ſeptem dies & adhibitas hirudines bis temporibus & ſemel circa laryngem applicitas, nec non veſicatorium magnum inter ſcapulas, atqve clysmata freqventia qvodammodo ad ſe rediit & reliqva periculoſa ſymptomata in mitiora putrida ſanabilia convertebantur. Hirudines circa laryngem communiter bonum contra hoc deglutitionis impedimentum præſtant auxilium. Apud qvendam parotidis facta & finita ſuppuratione; reſtitit ejusdem durities notabilis, aliis topicis fruſtra tentatis, per cataplasma emolliens demum diſſipata. In nonnullis, febre jam evanida, bene convaleſcentibus obſervabatur & remanebat vertigo notabilis debilitati non adſcribenda, qvippe qvæ cum incremento virium non decreſcens per veſicatorium in nucha, alibi non juvans, ſpecifico qvaſi modo tollebatur. Octo moriebantur, partim ob metaſtaſin funeſtam ad pectus, partim ob impedimentum deglutitionis non corrigendum: Qvidam ſub hoc malo juncto cum enormi congeſtio-

ſtione ad caput poſt obitum diſſectus fuit; cuncta cerebri vaſa ſangvine turgeſcebant & in omnibus ventriculis nec non baſi cranii inſignis aderat copia ſeri rubicundi.

2. Febres intermittentes numeroſæ varii typi, præſertim tertianæ & qvotidianæ aderant; in multis poſterior hic typus priori ſucceſſerat, nunqvam verò vice verſa; num materies morbi vi febris ſoluta ideoqve ad repetitam actionem magis dispoſita hujus ſucceſſionis fuit cauſa? Multi emetico & ſalinis absqve cortice ſanabantur; qvædam qvotidiana duplici ſc. paroxysmo febrili bis per nychtemerum, noctu & circa meridiem recurrente afflicta poſt ſumtum emeticum ſimplice corripiebatur febre & cortice ſanabatur; apud aliam tertiana tranſibat in qvotidianam, & hæc ſub uſu evacuantium & dein corticis mutabatur in febrem continuam graviſſime putridam, huic ſanatæ ſucceſſit ſcorbutus accomodatis remediis demum etiam fugatus. Qvædam poſt tertianam pulvere ſulphuris cereviſia commixto & ingeſto ſuppreſſum jam qvatuordecim diebus laborabat debilitate notabili, tumore œdematoſo extremitatum inferiorum & faciei; alvo per cremorem tartari cum rheo per aliqvot dies laxata, rediit febris alternis diebus, cortice dein ſanata. Nonnullis morbis ſalutari modo ſuc-

ceſſit intermittens febris. Sic apud puellam chloroticam cum cardialgia moleſta, expanſo abdomine, dyspnœa, œdemate crurum, menſtruis per annum ſuppreſſis; poſt adhibitas qvatuordecim diebus pilulas aperientes cum marte & gummoſas decrementum ſymptomatum excepit cephalalgia pulſatoria tertiani typi per corticem abacta, ſuperſtes qvidem lumbago nonnulla venæſectione & reſumtis pilulis tollebatur. Vertigo pertinax integri menſis variis remediis fruſtra tentata demum ſub exorta qvotidiana ceſſabat. Puer 12 annorum poſt efflorescentiam in corpore disperſam puſtuloſam ſponte evanidam corripiebatur cephalalgia continua enormi cum ſiti, anorexia, vomituritione, tumore œdematoſo crurum & frigore irregulari; variis evacuantibus, derivantibus, imprimis ſuppuratione diuturna per veſicatoria in cruribus adhibitis, conſtans morbus mutabatur in cephalalgiam periodicam qvotidie reverſam cortice peruviano prorſus fugatam. Tres per pulverem Hollandicum, Febrifuge de Freſcarode, a febre liberabantur; qvidam ſc. 22 annorum febre jam trimeſtri, initio tertiana, dein qvotidiana afflictus, emetico, ſalinis & cortice ordinario fruſtra tractatus, demum ſimul oppreſſionem cardiæ imprimis poſt ingeſta atqve tumorem œdematoſum crurum patiebatur; adhibitis ideo in noſocomio de-

cocto radicum graminis & taraxaci, rheo, ſalinis, & tandem cortice cum ſale ammoniaco, haud aliud qvam leve oppreſſionis decrementum efficiebatur, refugium ideo habui ad laudatum pulverem hollandicum, qvi & febrem & reliqva ſymptomata prorſus abegit. Alter bimeſtri febre partim tertiana partim qvotidiana cum facie pallida flaveſcente per methodum ſolitam ſc. emeticum, ſalina, corticem ordinarium eousqve a febre liberabatur, ut ejus loco & tempore regulari adfuerit ſenſus reptatus omnium artuum cum debilitate & ſiti, verum cachecticus color perſiſtebat cum œdemate crurum; arrepto nunc altero ſpecifico, reliqviæ illæ febriles prorſus delebantur. Apud tertium qvotidiana unius menſis poſt emeticum & ſalina eodem remedio tollebatur. Memoria dignum habeo pulveris hujus effectum, qvatenus etiam ſub indiciis & timore obſtructi viſceris completum juvamen absqve noxa præſtitit.

3. Febres inflammatoriæ haud paucæ tamen levioris, & ut videbatur, rheumaticæ indolis, qvod partim ex earundem ſanatione facili citò & per parcam phlebotomiam producta, partim e dolore imprimis poſt venæſectionem vago reddito concluſi; ſic apud duos dolor, pectore relicto, crus petebat; apud alium a pectore ad abdomen & ab hoc

ad iſchium vagabatur dolor; in altero pleuriticus dolor poſt prægreſſos motus febriles aliqvot dierum ſurrexit, qvo per venæſectionem & veſicatorium fugato, oriebantur febris intermittentis veſtigia pulvere ſalino ſublata. Qvidam 32 annorum jam octiduo continue febricitaverat cum laſſitudine dolorifica, anorexia, ſiti, vertigine, alvo parum laxa, qvibus biduo juncta erat oppreſſio moleſta cardiæ & pectoris cum tuſſi, oculos inveni flavescentes, pulſum celerem durum, ſaporem & lingvam ſanam, potius inflammatoriam qvam biliosam æſtimans hanc febrem e vena bis ſangvinem duxi phlogiſticum, & emulſionem camphoratam præbui, pectus hinc levari cæpit ſub ſputo verè bilioſo haud adeo ſpiſſo per tuſſim, ut bene attendi, expectorato & per octo dies fluere pergente; pectore ita reſtituto mox ſurrexit lumbago graviſſima omni veſpera recurrens noctesqve moleſtiſſimas reddens, poſt porrectum emeticum dedi corticem ut contra intermittentes verum absqve levamine, haud utilius fuit veſicatorium lumbari regioni admotum, demum vena fuit ſecta cum levamine, cnjus ergo adhuc ter repetita phlebotomia lumbaginem prorſus abegit. Manifeſtum hæc hiſtoria mihi præbuit documentum expectorationis biliosæ qvodammodo criticæ cenſendæ, de qva utpote valde rarâ antea minus certus fueram; obſervata in

no-

noſtro exceptio a vi ſpecifica corticis contra periodicum morbum etiam attendi meretur. Duos caſus memoriæ meæ commendandos reddidit difficultas in dignoſcenda eorundem indole inflammatoria. Apud fœminam ſc. 27 annorum jam octiduo aderat debilitas notabilis cum vertigine, ſapore amaro, dolore oppreſſorio conſtanti cardiæ imprimis verſus coſtas ſpurias ſiniſtras, vomitu intercurrente, alvo jam triduo clauſa; conſtantia doloris, ejusdemqve circumſcripta ad lobum hepatis ſiniſtrum ſede perpenſis, inflammationem prævalere judicabam, atqve venæſectionem inſtituebam, e qva notabile perceptum levamen diagnoſin meam confirmavit; ſangvis ideo adhuc qvater mittebatur & camphorata ſimul adhibita effectum optatum producebant. Alter 45 annorum 14 diebus debilis fuerat cum tremore artuum, vertigine, ſuſurru capitis intercurrente, dolore vago mox artuum, mox capitis, præſertim ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris verſus dorſum, ſapor, alvus & appetitus erant naturales, pulſus verò celer; mox dedi emeticum, cujus effectus ſurſum & deorſum largus erat, & ſinapismos ad ſuras; inſeqventi tamen nocte grave acceſſit delirium; cujusnam indolis hoc ſymptoma æſtimandum eſſet? Num putridum, aut inflammatorium? Poſterius credidi, partim qvia varia putridæ febri annecti ſolita ſigna abfuerant, partim

qvia

qvia delirium in putridis lentius & mitius noſtrum cito & vehementer corripiebat, & demum qvia largiter promota evacuatio in putridis adeo levatoria noſtro potius nocuiſſe videbatur, hirudines ideo temporibus applicabantur, vena bis hoc die & inſeqventi ſemel ſecta erat, qvo facto mens prorſus rediit, & laxans remedium dein porrectum reſtitutionem integram citò effecit. Lente ſine dubio paulatimqve in hoc ægroto facta eſt ſangvinis congeſtio ad encephalum, qvæ minori gradu ſymptomata illa nervoſa qvaſi effectus putridæ febris citavit, & majori demum gradu ipſum delirium phreniticum.

4. Hydropem univerſalem puer 9 annorum poſt hæmorrhagiam largam narium ſibi contraxerat, jam cum inſigni dyspnœa, tuſſi ſicca, fluctuatione manifeſta abdominis, inſtituta paracentheſis, & dein acetum ſcilliticum cum ſpiritu ſalis dulci atqve infuſum juniperinum diureſin augendo ægrotum ad primum intuitum vix ſanabilem ſat cito curabant.

5. Catameniis per aliqvot menſes ſuppreſſis, puella 17 annorum incidit in ſymptomata bilioſæ febris, qvæ cito tranſibant in febrem tertianam; hac poſt qvatuor paroxysmos & ſub uſu ſalinorum evanida, oriebatur

do-

dolor notabilis lumborum & extremitatum inferiorum cum diminuta harum vi motrice, qvæ, adhibitis licet veſicatoriis, ſemicupio, ſolitisqve antiparalyticis internis poſt menſem tamem ad plenam immobilitatem paraplecticam increvit; fonticuli ideo duo ad latera ultimæ vertebræ dorſi applicabantur, ſeptimo abhinc die ſc. 25to Septembris ſurgebat paroxysmus febrilis, ſimulqve accuſabatur dolor & tumor glandularum ſubaxillarum dein ſponte ceſſans, poſteaqve ægra artus inferiores animadvertebat mobiles, indies meliores, adeo ut die qvarto Octobris bene fere absqve ulla infirmitate ambulare potuerit: Die 11mo Octobris dolor pectus & 14to mammam dextram cum duritie & tumore occupabat, qvod ſymptoma per camphorata intus & extus adhibita die 18vo Octobris tollebatur; die 22do Octobris e novo aliqvalis debilitas artuum inferiorum indicabatur, imprimis verò notabilis eorundem & lumborum dolor noctu increſcens & non niſi per ambulationem levandus; die 12mo Novembris dolor crurum minor, in lumbis gravior cum adaucta debilitate, poſt paucos abhinc dies iterum prorſus paralytica, qvalis ſtatus, ſub larga licet ſuppuratione fonticulorum & adhibitis qvibuscunqve antiparalyticis, idem permanebat ad 30mum Decembris, qvo novi acceſſerunt febriles motus cum cephalalgia, dolore faucium

&

& pectoris, & qvarta abhinc elapſa die artus iterum mobiles fieri cæperunt, qvid, qvod! intra octo dies completo robore movebantur; verum pectus manebat oppreſſum cum tuſſi, ſputo purulento & ſangvineo, qvod ſymptoma fonticulis largiter ſuppurantibus adſcripſi, illosqve ideo ſenſim ſiccari & conſolidari curabam: Pectoris affectio cum dolore ejusdem nec non artuum vago perſiſtebat ad 21mum Februarii, per repetitam venæſectionem, ſpiritum vitrioli, nitrum cum rheo debellata & demum ſubitò cum omni reliqva paſſione pectoris ceſſans die 4to Martii, qvo accedebant motus convulſivi graviſſimi per plures horas protracti; poſtea hæ convulſiones vere epilepticæ ſæpius recurrunt, initio irregulares, moſcho fruſtra tentatæ, dein regulari tempore nocturno primò per corticem ordinarium, per pulverem deinceps Hollandicum ſupra laudatum incaſſum oppugnatæ; tandem corticis peruviani rubri cochleare minus bihorio porrexi, ſub qvo cum diarrhœa modica ſimul adjuncti paroxysmi ſenſim decreverunt & demum prorſus ceſſarunt die 4to Aprilis; verum iterum aliqvalis infirmitas extremitatum ſentiebatur; ſupervenit tunc menſtruus fluxus, & ante hunc morbum & ſub eodem retentus, per plures dies largiter continuans illo cum effectu, ut ſanitas integra fuerit reſtituta, atqve talis ad 4tum Maji, qvo noſocomium

no-

noſtra reliqvit, permanſerit. Morbus hicce pluribus, ut ita dicam, conſtitit articulis, qvorum multitudo, diverſitas, gravitas, & ſucceſſionis modus ponderatione medici vix non digniſſima ſunt; ſic febris tranſiit in dolorem & hic in debilitatem paralyticam extremitatum inferiorum, hanc ſolvebat renovata febris cum affectione morboſa pectoris, qva fugata, rediit dolorifica & dein paralytica artuum conſtitutio, hujus iterum locum ſubiit reſurgens febris cum graviſſimo inſeqventi pectoris morbo, qvi rurſus ſubitò & miro modo evanuit ſub exortis convulſionibus, demum omnium malorum catervæ finem fauſtum impoſuit menſtruorum, qvæ ſuppreſſa fuerant, largum profluvium; cauſam ſingularum, qvæ ſibi ita ſuccedebant affectionum proximam inqvirenti vix probabilior occurrit, qvam morboſa humorum congeſtio mox unam deſerens mox alteram petens corporis partem, atqve pro hujus differentia mox hæc mox alia efficiens ſymptomata; qvænam verò materies tam valide agentis congeſti fuit, num merus ſangvis menſtruus qvatenus ſuperfluus ſuffecerit? aut ſimul aliam illi commixtam acrimoniam pro effectibus declarandis ſtatuere opporteat? Ut cauſam congeſtionis determinantem vix aliud cogitare licet, qvam naturæ conamina ad menſtruationem promovendam, e qvibus erroneo modo di-

rectis

rectis ſat graves in variis corporis partibus affectus ſæpe numero obſervamus, adeo ut eidem cauſæ noſtræ ægrotæ moleſtias licet miras & ſolitò rariores tribuere rationi optime conveniat; num uſu & virtute corticis peruviani viſcera nerviqve tandem debitum recepiſſent robur ad naturæ moliminibus ita reſiſtendum, ut eorundem effectus verſus juſtum locum ſc. uteri vaſa determinatus fuerit. Fonticulis in hoc caſu nullo modo competit laus ſanatæ paralyſeos, partim qvia ſuppurantibus licet largiter fonticulis, tamen rediit, & demum, qvia poſt conſolidatos fonticulos reſtituta fuit membrorum mobilitas.

SECTIONES.

6. Tetanus in viro 28 annorum poſt ſcabiem ungventis ſulphureis retropulſam & prægreſſos per qvatriduum motus febriles oriebatur, opio ſenſim ad ſcrupulum adaucto qvotidie ingeſto, aliaqve convenienti medela haud mutabilis, die nono junctus cum delirio inqvietudine, clamore & die undecimo per mortem finitus. In aperto cadaveris cranio haud aliud vitium, qvam larga copia extravaſati ſeri tam in ventriculis cerebri qvam baſi cranii. Collectio hæc ſeroſa forſan ob annexam

annexam acrimoniam e miasmate retropulſo encephalum irritando inducere valuerat affectionem illam ſpasmodicam, qvæ in aliis a ſero extravaſato qvatali haud oriri obſervatur.

7. Arthritide qvadrimeſtri, initio vaga, dein fixa, pertinaci in iſchio ſiniſtro, nec non dolore hypochondrii dextri arthritidem ad qvatuor hebdomades præcedente, & cum illa durante afflictus vir 26 annorum poſt multa remedia incaſſum adhibita, febre continua putridæ indolis demum ſuperveniente morieba-tur. Aperto cadaveris abdomine inteſtina omnia, excepto colo, aëre valde expanſa inveniebantur, ileum pro parte gangrænoſum, hepar, qvod perſcrutandi gratia præſertim hanc ſectionem inſtitueram, in ſuperficie convexa erat exulceratum, pureqve obductum, mediante, qvo cum diaphragmate coalitum fuit. Utrum arthritis in hoc ægroto primarius fuit morbus, etiam læſionis hepatis ob materiem ibidem depoſitam cauſa? An potius pus ab hepate reſorptum articulares induxit dolores? Poſteriorem ſententiam ſvadet affectio hepatis arthritide antiqvior, imprimis dum aliis exemplis probatam vidi puris abſorpti efficaciam ad tales dolores procreandos.

8. Suſurru capitis, tinnitu aurium, tumore œdematoſo crurum, alvoqve ſegni per

tres hebdomades ſe laboraſſe retulit vir 47 annorum, ſimul qveſtus freqventem vomitum, anorexiam ſitim, doloremqve cardiæ, qvæ ſimul parum tumida videbatur; faciem ægroti pallido-flaveſcentem leucophlegmaticam vidi. Variis præſertim diureticis remediis non mutatus morbus poſt qvatuordecim in noſocomio exactos dies morte terminabatur. In aperto cadaveris abdomine nullum vitium, ſi forſan durities nonnulla hepatis excipiatur, inventum fuit; in cranio autem multum ſerum clarum inter piam matrem & cerebrum, larga qvoqve aqvæ ſangvinolentæ copia tam in omnibus ventriculis qvam in baſi cranii aderat, ſubſtantia ipſius cerebri admodum mollis. Abſente præternaturali ſtatu imi ventris, ſymptomata illius morbo adjuncta vix alteri cauſæ qvam conſenſui a læſo encephalo adſcribi poſſunt, imprimis dum talem nexum alia exempla jam monſtrarunt poſſibilem. Etiam me monet hic caſus cautionem in dijudicando viſcerum infarctu, qvem in noſtro adeſſe ſat certò credidi, & tamen poſt mortem haud inveni.

9. Hyppochondrii dextri punctorius dolor per ſedecim dies apud virum 26 annorum præſto fuerat jam proxima nocte mutatus in dolorem gravem umbilicalem cum vomitu bilioſo; debilitas jam inſignis aderat cum

pulſu

pulſu parvo celeri & facie collapſa; adhuc per octodecim dies in noſocomio durabat morbus cum vomitu freqventi materiæ biliosæ flaveſcentis vel brunnæ, dolenti & expanſo abdomine, alvoqve laxa, qvibus tandem placida mors finem impoſuit. Diſſecto cadaveris abdomine, omnia inteſtina, qvatenus ob fœtidiſſimum odorem perſcrutari poſſibile erat, gangrænoſa inveniebantur, in margine anteriore lobi hepatis dextri magnus aderat abſceſſus jam disruptus, attamen adhuc pure denſo obductus. Nonne hæc ruptura facta eſt tempore, qvo dolor ab hypochondrio ad umbilicum tranſiit, qvod ſi vix improbabiliter ſtatuimus, octodecim præteriti ſunt dies, anteqvam effuſum pus letalem inteſtinorum gangrænam produxerit.

JULIUS.

1. Febre biliosо-putrida 53 perſonæ ægrotabant ſc. 25 levius, reliqvi gravius affectæ; benigna in univerſum illius fuit indoles, adeo ut debita peracta excretione tantummodo debilitas methodo ſolitæ confortanti cedens reſtiterit; non pauci aphtis ſed boni ominis pro-

grediente morbo affligebantur; hiſce decoctum chinæ absqve acido ob minorem irritationem conveniens judicavi; qvidam ſimul cum aphtis vomitu omnium ingeſtorum laborabat in reliqvis convaleſcens, ventriculo nimis ſenſibili & forſan inſtar ipſius lingvæ aphtoſa excoriatione affecto hoc malum adſcripſi, ideoqve non medicamentis ſed blandi nutrimenti minutis præbiis ſc. decocto avenaceo ad cochleare majus freqventer ſumto compeſcui; cujusdam poſt morbum devictum ſuperſtes inſania veſicatorio in nucha cito tollebatur; qvatuor obierunt, tres cum ſumma ad encephalum congeſtione, unicus cum metaſtaſi ad pectus & ſputo demum impedito.

2. Tumore œdematoſo extremitatum inferiorum poſt partum exorto, decem ſeptimanis protracto & jam ante octo dies fere evanido mox ſurrexit dolor inſignis faucium, oris & lingvæ, hactenus durans cum deglutitione moleſta, ſiti inſigni, æſtuqve urenti, ipſe præterea obſervabam gingyvas cruentas, aphtas oris copioſas, maculasqve lividas in cruribus adhuc parum tumentibus. Decoctum chinæ cum ſpiritu vitrioli, mel roſatum cum borace veneta ad os colluendum, veſicatoria in ſuris cum ſuppuratione per plures dies conſervata ægrotam ſat cito reſtituebant. Medendi hanc methodum illi ſuperſtruxi judicio,

dicio, qvod liqvidum ſeroſum diuturna ſtagnatione corruptum & dein reſorptum, tam integram humorum maſſam putrida colluvie inqvinaviſſet, qvam præſertim fauces aggreſſum fuiſſet.

3. In puella 29 annorum qvatuordecim diebus febricitante cum dolore abdominis, alvo tamen rite aperta ventrem explorando inveni circumſcriptum tumorem dolentem in regione ingvinali dextra ad magnitudinem pugni, venæſectio ſepties per ſeptem dies continuos repetita, qva ſangvis ſemper phlogiſticus monſtrabatur, inunctio linimenti volatilis, intusqve exhibita camphorata affectionem illam abdominis ſatis infreqventem ſub alvo interea ſponte fluente prorſus ſanabant. Inflammationem hanc extra tractum inteſtinorum fuiſſe non impedita alvi apertura teſtatur; nonne verò e ſede doloris ad morbi ſedem in ovario eſt concludendum?

4. Ardoris moleſtus ſenſus nautam 35 annorum menſis ſpatio affixerat in plantis pedum, volis manuum, dorſo & abdomine, noctu adauctus, ſomnum impediens, ſecumqve ducens corporis debilitatem, atqve dolorem ſuperioris mediæ femorum partis; reliqvæ ſanitatis functiones erant illæſæ, nec ullum morbum prægreſſum, cui dictum ſymptoma

adſcribi potuit; nec ſcabiem nec hæmorrhoides paſſus fuerat. Tentatis variis ſc. venæſectione, ſolutione gummi gvajaci, camphoratis, veſicatoriis juxta ſuras, verum absqve juvamine, demum in uſum traxi antiſcorbutica ſc. elixirium antarthriticum, infuſum trifolii fibrini, & ſerum lactis, qvibus ardor ille ſingularis ſenſim per tres hebdomadas tollebatur, ſuperſtite dolore nonnullo femorum per balneum vaporis devicto.

5. Vomitus in juvene 21 annorum dimidio anno ſolitus erat, attamen modò fluida haud ſolidos cibos rejiciens cum alvo valde ſegni atqve ſenſu excoriationis in cardia, ſemel ante hunc morbum lumbricum evacuatum obſervaverat; corpus erat inſigniter emaciatum; magneſia alba aliqvoties per diem ſumta citò vomitum ſiſtebat; cardiæ verò dolor perſiſtens cum oppreſſione abdominali me ad emeticum porrigendum commovit, qvo facto cum levamine ſolutio ſalina per aliqvot dies exhibita aſcarides copioſas evacuavit itaqve ægrotum prorſus ſanavit. Vomitus hic a cauſa haud immerito verminoſus dicendus ad primum aſpectum emetatrophiæ ſimilis ſat facile tamen ab eadem diſtingvi poterat ob retentionem ſolidi haud verò fluidi ingeſti, utpote hoc ſymptoma canalem inteſtinorum, qvi in vomitu

verè

verè hectico clauditur, in noſtro debite pervium monſtrabat.

6. Vertiginem integri fere anni apud virum 48 annorum ſolverant ulcera cruſtoſa in nucha erumpentia; hiſce dein ſponte ſiccatis jam octiduo aderat dolor partim artus partim caput cum vertigine occupans; nec veſicatorium nuchæ diu ſuppurans nec ſimilia in ſuris morbum tollebant, fonticuli verò in cruribus appliciti & ſolutio gummi gvajaci aqvoſa poſt duos menſes ægrotum reſtituebant. Ulcera ideo artificialia maxime proficua habenda ſunt ad juvandum morbum, cui ipſa natura tali modo antea medebatur.

7. Diarrhœa habitualis in itinere maritimo contracta cum intercurrente dolore abdominis & excretione ſangvinea juvenem 21 annorum jam per integrum annum moleſtaverat & ſummam corporis emaciationem produxerat; in noſocomio ſiſtentia varia adhibita ut geum ſolum, decoctum corticum, peruviani, caſcarillæ, ſimarubæ cum oleo olivarum & mucilagine gummi arabici, opium, balnea calida ad provocandum ſudorem, qvi nunqvam ſponte aderat, optato effectui haud reſpondebant; laudata demum compoſitio e radice gei urbani, cortice caſcarillæ &

ſimarubæ ad cochleare minus bihorio diuturnum morbum proſpere finivit.

8. Scabie apud puellam 26 annorum topicis retropulſa oriebatur tumor genu dextri, hoc per aliud linimentum profligato ſurgebat dolor cardiæ preſſorius jam qvatuor ſeptimanis durans absqve duritie aut tumore, verum ab attactu increſcens & ſecum ducens vomitum freqventem ingeſtorum, tribus hebdomadis junctus erat icterus cum ſapore amaro; lingvam inveni puram & alvum qvodammodo naturalem. Vomitum tollebant anima rhabarbari & emulſio camphorata alternatim adhibita, icterus pulveri compoſito e radice rhei, nitro, lacte ſulphuris cedebat, ſuperſtes autem oppreſſio cardiæ ſat moleſta pilulis e ſaponis veneti, gummi ammoniaci puri, extracti cicutæ ana ſesqvidrachma, extracti aloës aqvoſi ſcrupulis duobus ad grana qvindecim bis die ſumtis opus habuit & ſanata fuit absqve reverſa ſcabie; reliqvias impuritatis cutaneæ in ſangvinis maſſa ſuſceptas obſtructionem primò genu dein hepatis effeciſſe vix incertum reddit ſucceſſio ſymptomatum in ægrota obſervata, etiamſi curato ſecundario morbo primitivus ſc. ſcabies haud pro ſolito more redierit, dum materiem morbificam per adhibita alvum laxantia eductam fuiſſe credere licet.

9.

9. Simili morbo afflicta erat puella 32 annorum, menſis ſc. ſpatio poſt tertianam ſpiritu vini cum pipere ſuppreſſam valetudinaria cum hepatalgia, tumore œdematoſo crurum, ſcabie ſicca, tuſſi præterea ſat inveterata, ſputo puriformi, defectu menſtruorum, facie & oculis flaveſcentibus; flores ſulphuris cum cremore tartari, qvæ compoſitio mihi in uſu eſt, ob pyroſin moleſtam inde ortam cum larga ſalivatione ſeponere coactus eram; nec pilulæ ſaponaceæ ullius effectus fuerunt; demum ſub adhibitis emulſione camphorata bihorio, juſculo ſecalino omni mane & pilulis balſamicis ad grana qvindecim omni veſpera, ſpes perdita ſenſim reſurgebat, ſcabies erumpebat largiter ſuppurans, tuſſis decreſcebat, catamenia proveniebant; porrecta nunc magneſia alba ad partes duas cum florum ſulphuris parte una ægrotæ tolerabilis & ſimul cum balneo ad fugandam ſcabiem & ſanationem complendam ſufficiens inveniebatur. Hic camphora vices ſulphuris, alias ſpecifici in expellenda ſcabie ſubiit; nec memoria indignam æſtimo virtutem magneſiæ in corrigendo ſulphure, alio modo vix tolerabili.

10. E ſcabie ſuperveniente & ſub uſu kermis mineralis valde ſuppurante miles 45 annorum per plures jam menſes tuſſi, ſputo

purulento, ſummaqve dyspnœa afflictus & inſigniter emaciatus maximam percepit utilitatem, & adhibitis ſimul juſculo ſecalino, atqve aqva ſelterana cum lacte reſtitutus fuit. Perpenſa humorum depuratione, qvam pauca ulcuſcula, fonticuli dicta, efficere valent, haud mirum eſt, ſalutarem hunc effectum adhuc completiorem fieri per innummeros ſcabiei abſceſſus; illis ideo reſtitutionem pectoris in allatis ægrotis adſcribere rationi apprime convenit, dum probabile eſt, materiem purulentam in pulmonibus generatam ad ſuppurantem cutem attrahi, deponi, itaqve, ne funeſtam hecticam conſumtionem efficiat, impediri.

11. Tuſſi purulenta diu afflictum juvenem 23 annorum poſt varia fruſtra tentata remedia juvavit oleum asphalti.

12. Debilitas illa nervoſa a ſpasmis ortum trahens apud plures obvenit. Qvidam 22 annorum poſt morbum colicum, qvem in inſulis Americanis paſſus fuerat, artus jam dimidio anno motus debiti incapaces habebat, & digitos manuum pedumqve ſemper frigidos atqve ſeſe extendere non valentes; cucurbitæ ſiccæ, balneum primo vaporis absqve juvamine, dein ſtillatitium cum perceptibili emolumento, eſſentia cantharidum camphorata

prope

prope ignem inuncta, intusqve essentia Stibii cum spiritu lavendularum composito & infusum florum arnicæ mensis spatio ægrum restituebant. Alter pictor 28 annorum post colicam spasmodicam simili artuum infirmitate laborans eadem medela sanabatur. Alius nauta 28 annorum in itinere maritimo a China per septem circiter menses afflictus fuerat gravissima colica ad sedecim vices reversa circa umbilicum hærente cum obstipatione alvi pertinaci, demum sed difficulter clysmatibus soluta, atqve dolore articulari imprimis genuum; duplice vice vehementia dolorum delirium simul induxerat; qvo ad nos venit, tempore morbus hic per qvatuordecim dies aderat, solito modo se habens, attamen alvus parce fluxerat cum excrementis siccis; brachium dextrum a prima morbi invasione debilitate qvodammodo paralytica laboraverat; solutio mannata oleosa initio freqventius, dein rarius per tres hebdomades adhibita dolorem abdominis sustulit, alvumqve debite lubricam reddidit, superstes artuum debilitas balneo universali tepido intusqve sumta essentia stibii cum spiritu lavendularum composito sanabatur. Typotheta ob similem affectionem paralyticam brachiorum exortam post colicam spasmodicam, & jam diu protractam nosocomium petiit, manus præsertim debiles inveni & in juncturis carpi & in omnibus digitorum

junc-

juncturis extenſionis haud capaces; maxime autem immobiles erant ambo pollices cum atrophia muſculorum illis pertinentium. Inter remedia ſolita e balneo ſtillatitio maximam obſervavi utilitatem ad confortandas manus, ſed brachia exinde minus mobilia fieri animadvertens, ſimul balneum vaporis alternis diebus in uſum trahere conſultum duxi, ſic elapſis qvatuordecim diebus ſudor notabilis oriebatur in volis manuum, ſenſimqve rediit artuum vis motrix, exceptis pollicibus, qvorum ſiniſter poſt continuata adhuc per menſem remedia juvabatur, multo autem diutius reſtitit affectio pollicis dextri, cui præter reliqva profuit inunctio eſſentiæ cantharidum camphoratæ atqve perfumatio e vaporibus aromaticis. Patet hinc colicæ nautarum in regionibus calidis iter facientium atqve colicæ ſaturninæ tanta ſimilitudo; tam ratione ſymptomatum conſtituentium & conſeqventium, qvam ratione medelæ, ut jure merito eadem morbi ſpecies æſtimari debeat, non obſtante diverſitate originis, qvam in altera plumbea effluvia efficiunt, in altera autem alia vix definienda acrimonia; qvare in Typotheta noſtro pollices qvam maxime afflicti erant? Præſertim dexter, num contactui eorundem immediato cum litteris metallicis hoc adſcribendum eſt phœnomenon?

13. Debilitatem nervorum adhuc magis univerſalem & notabilem nauta 33 annorum in regno Gvinea ſibi contraxerat, qvæ jam pluribus menſibus duraverat conſiſtens in vertigine, ſuſurru capitis, obnubilato viſu, artuum tremore, imo intercurrente convulſivo motu qvaſi ab electriſatione, mentisqve infirmitate & qvandoqve levi aberratione; ſummus faciei pallor maxime enervatum hominem indicabat. Sangviſugio temporali & veſicatorio nuchæ fruſtra tentatis, per liqvorem nervinum ter indies, nec non pulveris refrigerantis unciam cum radicis Valerianæ ſylveſtris uncia dimidia & moſchi orientalis granis qvatuor ad cochleare minus mane & veſpera ſumta, epithema frigidum capiti impoſitum atqve ſpiritum lavendularum compoſitum prope oculos admotum menſis ſpatio ſanabatur.

SECTIONES:

14. Tuſſi diuturna afflicta fœmina 38 annorum ſubitò corripitur dolore gravi pectoris dextri cum ſumma dyſpnœa, poſtridie ad noſocomium ductam ægrotam inveni delirantem cum ſtrepitu pectoris, qvi tribus ab aggreſſo dolore exactis diebus per mortem finitur. Diſſecti thoracis cavitas dextra ſero pu-

ru-

rulento plena reperiebatur, pulmo dexter fere conſumtus qvoad reſiduam partem obductus pure denſo viridi maleolenti. Dolor ille ſubitaneus ſine dubio effectus rupturæ fuit, reliqva & mortem ipſam e compreſſis per extravaſatum viſceribus vitalibus derivare licet.

15. Dyſpnœa apud hominem 24 annorum, dum in noſocomio ſuſcipiebatur, jam ſeptem hebdomadis aderat, ſine cognita prægreſſa cauſa exorta, ſenſim ſenſimqve adaucta ſub omni corporis motu, haud extra illum, ſeſe exſerens cum notabili palpitatione cordis, ſitum in lecto qvalemcumqve æqve bene tolerans; tuſſis nonnulla adfuerat, jam qvatuordecim diebus ſilens; tribus ſeptimanis ſcabies eruperat; dolorem vagum qvandoqve ſenſit in pectore ſiniſtro, cardiæ regionem inveni tumidam, alvum verò & reliqva naturalia. Dimidio, qvo in noſocomio morabatur, anno varia remedia & ad promovendam ſcabiem & reſolvendi ſcopo, nimirum ſulphurea, pilulæ ſaponaceæ, kermes minerale, balneum univerſale tepidum, imo mercurialia ad ſalivationem usqve porrigebantur; ſcabies qvidem hinc bene floruit, iterumqve ſiccabatur, verum dyſpnœa permanebat lente increſcens, motu corporis magis magisqve obſtans, imo ultimis vitæ diebus ſitum horizontalem in lecto haud permittens, palpitatio

cor-

cordis itidem adjuncta erat; demum æger mox poſtqvam ad alvum deponendam ſponte ambulaverat, iterumqve lectum petierat, improviſò & placidè exſpirabat. Aperto cadaveris abdomine nil aliud ibidem præter naturam occurrebat qvam inſigne hepatis volumen ejusdemqve color ſolitò rubicundior; in pectore pulmo dexter prope ſternum cum pleura coalitus, qvoad extremitatem inferiorem cum diaphragmate concretus, in ſuperficie autem externa rupturam habens ad duos pollices longam ſatisqve profundam, ſubſtantia verò ejusdem erat illæſa, pleuræ pars huic rupturæ reſpondens obducta materia ſpiſſa qvaſi ichoroſa; in pericardio nonnullum ſerum, cor ipſum enormis magnitudinis, intus ſangvinem partim fluidum, partim condenſatum & polypoſum continens; valvulæ mitrales oſſeam duritiem habuerunt, imo ſpiculas oſſeas digitis percipiendas, ita ut meatus inter ſinum & ventriculum ſolito anguſtior fuerit. Inter reperta cadaveris vitia vix ullus dubitet notabilem cordis degenerationem pro principali morbi mortisqve cauſa habere, qvonam autem modo? Me judice oſſificatæ valvulæ officio valvularum ſc. ad claudendum foramen haud idoneæ ſunt, hinc ſeqvitur, qvod apertura inter ſinum & ventriculum ſub hujus actione haud clauſa fuerit, & qvod ſangvis e ventriculo non debita di-

rec-

rectione in arteriam magnam propulsus fuerit, sed simul repulsus versus sinum; e priori defectu repetitum & palpitantem cordis motum derivare licet, e posteriori autem reactione non poterat non insigne produci obstaculum contra sangvinem pulmonalem ad sinum affluentem, cujus ideo retardatio & remora in vasis pulmonum dyspnœam necessario creavit; prouti verò vitium cordis increverit, eadem ratione adaucti sunt morbosi illius effectus, donec e sangvine impedito distentus pulmo disruptus fuerit, mortemqve subitaneam attulerit. Rarissima hæc valvularum mitralium ossificatio unica tantum vice Morgagnio apud vetulam septuagenariam obvenit, historia autem ægrotæ illius morbi adeoqve effectus talis vitii illustri auctori fere ignota erant; noster casus ideo majoris habendus est, dum simul symptomata talis degenerationis docet, & qvod in junioribus subjectis etiam possibilis sit hæc morbi causa, qvam sine experientia & exemplo ad senectutem solum pertinere credendum esset.

AUGUSTUS.

1. Febre biliosо-putrida 54 personæ laborabant, sc. 24 modico, 30 graviori gradu; com-

communis leviorum terminus erat 14 vel 17, rarò 21mus dies; medicatio hiſce ſufficiens conſtitit in emetico, cremore tartari vel ſolum, vel ubi debilitas nonnulla ſub progrediente morbo exſurgebat, alternatim cum mixtura camphorata, apud duos ſub allata medela continua febris in periodicam qvotidianam repetito emetico ſublatam vertebatur; qvidam ob perdurantia cruditatum ſigna & debilitatem haud adeo increſcentem ſolitò pluries emetica & laxantia opus habuit illisqve juvatus fuit, mihi ideo interroganti victum ſanitatis tempore conſvetum retulit æger, eundem qvam maxime ex alimentis farinaceis fuiſſe depromtum, etiam ſat probabile eſt, e tali vitæ genere materiam morbi magis viſcidam & tenacem, minus verò putridam generari; apud qvendam ſingularis ſapor oris dulcis cum anxietate præcordiorum accuſabatur etiam poſt emeſin & catharſin ſuperſtes, uſu autem cremoris tartari ſublatus. Gravior morbi gradus communiter notabilem ſangvinis congeſtionem ad caput ſecum duxit, cui hirudines in temporibus & epithema frigidum profuerunt; in multis ſc. novem poſt devictum morbum vertiginoſus ſtupidus ſtatus capitis remanebat veſicatorio in nucha tanqvam ſpecifico juvatus; inter hos vertiginoſos etiam duo veſani erant, qvales reliqviæ gravem encephali ſub morbo affectionem teſtantur,

Qvinqve metaſtaſin ad pectus patiebantur attamen ſervati; tranſitus talis notatu ſat dignus obſervabatur apud virum 25 annorum putridiſſimo, ut ita dicam, morbo laborantem; die 17mo pulſus multo minus celer fiebat, ſomnus qvodammodo qvietus accedebat & motus convulſivi prægreſſi ceſſabant; die 18vo dolor utriusqve pectoris accuſabatur; die 19no dolor concentratus fuit in pectore dextro cum nonnulla tuſſi, pulſuqve elevato tenſo; nunc ſangvis bis mittebatur phlogiſticus, camphorata intus propinata & veſicatorium loco dolenti; die 20mo ob gradum doloris eundem adhuc bis ſecta fuit vena, hinc dolor evaneſcebat & per octo ſeqventes dies convaleſcere videbatur æger, tunc novum in pectore ſiniſtro qverebatur æger dolorem unica venæſectione ſublatum, tuſſis autem ſicca cum dyſpnœa permanebat ad menſem usqve cum intercurrente dolore pectoris; tandem diarrhœa oriebatur aliqvot dierum levatoria & poſt hanc expectoratio puriformis, ſub qva ad tres fere hebdomadas durante ſanitas ſenſim reſtituta fuit. Materia metaſtatica ſine dubio non tantum pro parte, qvam petit, diverſa; ſed etiam pro varia indole, ſpiſſitudine vel acrimonia differentes valet producere effectus; metaſtaſis e putridis ad pectus utplurimum ſine prægreſſa inflammatione ejusdem ſeſe exſerit per ſputum puriforme, apud noſtrum

ra-

riore & alio modo res procedebat, nimirum cum manifeſta præcedente inflammatione lentaqve materiæ depoſitæ maturatione & evacuatione, qvod cruditati materiæ vix inepte tribuitur; diverſo modo ita agenti metaſtaſi etiam diverſa opponenda eſt medela, uti enim naturam in ſubacto hoſte eliminando verſantem phlebotomia debilitare funeſtum foret, ita contraria valet regula, dum manifeſtam inflammationem in parte nobili excitat depoſitum, tunc enim vix aliqvid absqve venæſectione etiam crebrius juxta perſeverantiam doloris inſtituenda ſperari poteſt, etiamſi debilitas e prægreſſo morbo uti apud noſtrum ſat magna adeſſe videatur. Qvinqve hac epidemia moriebantur, duo ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo impedito, duo ob enormem ad caput congeſtionem & qvintus ſenex ob meram debilitatem.

2. Febres intermittentes nonnullæ excepta unica tertiana typi qvotidiani; qvædam continua mutabatur in dolorem pectoris circumſcriptum omni pomeridie recurrentem, qvi ſub uſu cremoris tartari & nitri tranſibat in febrem intermittentem ordinariam cortice ſanatam; in altero ſimul cum febre aderat hemicrania gravis extra paroxysmos durans nec venæſectione, nec hirudinibus juvata; exhi-

bitus verò cortex utrumqve malum & continuum & periodicum tollebat.

3. Febre continua bilioſæ indolis apud puellam 26 annorum rite menſtruatam devicta reſtitit cephalalgia enormis haud continua, interdum qvaſi rite periodica deinceps verò irregularis temporis, qvandoqve cardialgia vel dolores artuum & ſuperiorum, imprimis inferiorum qvam maxime intolerabiles affligebant; cortex initio, dein antarthritica varia, camphorata, gvajacina, veſicatoria plura diu ſuppurantia ne minimum qvidem juvamen attulerunt; demum in ſuſpicionem ductus de materia qvadam peregrina corpus pervagante ejusqve partes mox unam mox alteram moleſtante curatius antecedentia inqviſivi & comperi, ægrotam ante ſeptem annos gravi laboraſſe arthritide, contra qvam fonticuli juxta ſuras appliciti erant ſub ultimo acuto morbo conſolidati, tumor qvoqve crurum inveteratus evanuerat; hinc reliqvis omnibus per tres menſes fruſtra adhibitis conſultum duxi completam humorum efficere depurationem per mercurium dulcem, ope cujus largam promovi ſalivationem & ſub illa moleſtiſſimos ægrotæ cruciatus hactenus adeo rebelles ſenſim & demum plenario evaneſcere lætus obſervavi. Num mercurii ſalutaris effectus in hoc morbo pro certo indicio ſiphyllitiçæ

ejus-

ejusdem indolis habendus eſt? Me judice vix ſufficit hoc argumentum, & qvia propria ſiphyllidis ſigna haud præſto erant aut adfuerant, & qvia alia ſymptomata e tali impuritate humorum haud congrue derivanda nimirnm enormis dolorum gradus, præſentia diurna haud ſecus ac nocturna & demum determinatio ad partes abdominis internas ægrotam noſtram vexabant; & tandem qvia mercurii vis etiam ad morbos chronicos non venereos ſanandos aliis jam conſtat experientiis; nonne verò potius materiæ nocivæ per fonticulos evacuari ſolitæ, & nunc illis conſolidatis retentæ affectus ægræ adſcribere liceat? Efficacia talis cauſæ in multis aliis exemplis ſententiæ huic convenire videtur.

4. Colicus dolor apud juvenem 22 annorum ſpatio dimidii anni poſt ſanatam ſcabiem ſæpe recruduerat & jam decem diebus præſto erat cam alvo ſegni, debilitate dolorifica omnium artuum & oculis flaveſcentibus; alvo mox per ſolutionem mannato-oleoſam bene laxata, porrigebatur liqvor nervinus & ſublata colica ſulphurea, ſcabies hinc bene provenit, balneo dein ſanata. Qvo facto didici acrimoniam illam ad inteſtina converſam colicæ ſpasmodicæ ſimilem affectum producere valere.

5. Intumeſcentia totius regionis ſupra-umbilicalis elaſtica cum cardialgia imprimis ab ingeſtis & appetitu enormi apud puellam 12 annos natam ſpatio decem hebdomadum ſenſim ad inſignem gradum pervenerat; vermifuga ſolita, aſſa fœtida & ſub pilularum & ſolutionis forma, rhabarbarina, infuſum ligni qvaſſiæ, martialia ſucceſſive ſine minima mutatione tumoris propinabantur, demum clysma ex aſſæ fœtidæ ſesqvidrachma paratum qvotidie applicari curabam, illo cum effectu, ut intra qvatuordecim dies pertinax ille ad plures menſes protractus tumor fuerit ſublatus. Credidi nimirum, ſingularem hunc ſat rarum affectum produci ab expanſione & relaxatione inteſtini coli transverſi; cum ideo per os ingeſta haud ſufficienti vi agere expertus fuerim, ſine dubio qvia virtus eorundem medicamentoſa ob longam per inteſtina viam infracta fuit, majorem ſperabam efficaciam ex immediata ad ſedem mali applicatione remediorum per clysmata & qvidem vaporoſæ irritantis indolis, ut fibræ muſculares ubiqve affici & ad debitam contractionem citari poſſent, cui theoriæ ſuperſtructa medicatio votis adeo ſatisfecit, ut mentionem & imitationem jure mereatur.

6. Tumor dolens genu in viro 27 annos nato per qvinqve dies ad notabile volumen in-

increverat veſicam, liqvido repletam referens, motumqve impediens; in reliqvis omnibus ſanitas completa aderat, nulla violentia, nec aliud pro cauſa mali detegi potuit, ſi excipiam prægreſſam ægri diſpoſitionem ad dolores arthriticos; ſangvis qvater miſſus naturalis indolis intusqve adhibita camphorata intra decem dies absqve alio inſeqventi ſymptomate ægrotum prorſus reſtituebant. Alter 45 annorum eodem tempore ſimilem patiebatur genu tumorem, attamen obortum mox poſt prægreſſos dolores artuum vagos; etiam juvamen tamen haud adeo notabile e venæſectione repetita ſentiebat, partem dein tumoris abſtulit veſicatorium genu circumdatum & nonnullas adhuc reliqvias balneum vaporis ſat brevi tempore diſſipavit. Qvantum valeat venæſectio ad reſorptionem ſtagnantium humorum, ex his exemplis manifeſtò deduci poteſt, & ad ejusdem effectum in univerſum haud inepte applicari.

7. Catameniis diu ſuppreſſis puella 24 annorum incidit in hæmorrhagiam freqventem & copioſam mox e naribus, mox e pectore, mox ex utroqve loco ſimul, cujus præcurſor ſolitus erat pectoris oppreſſio cum voce rauca & aliqvali dyspnœa poſt ſangvifluxum disparens, qvandoqve locum oppreſſionis ſubiit lumbago; mediocris efficaciæ erant,

qvæ ad ſiſtendum, dum præſto erat, ſangvifluxum tentabantur, cum hic potius ſponte peracta, qvam natura intendebat, evacuatione ceſſare videretur, verum permulta alia remedia ſcopo, qvem præcipuum ad prævertendam hæmorrhagiam æſtimabam, emmenagogo prorſus ſine fructu in uſum traxi; elapſis ita tribus circiter menſibus ad relaxanda vaſa uterina clysmatum emollientium qvotidianum uſum præſcripſi; unica autem modò vice hoc adhibito adminiculo mox provenerunt menſtrua copioſa, & allata ſymptomata haud poſtea redierunt; notandum eſt, ægrotam enemata qvam maxime abhorrere, cui pathemati multò probabilius eſt adſcribere optatum eventum, qvam phyſico clysmatis ſemel appliciti effectui.

SECTIO.

S. Dolor pectoris dextri & medii apud virum 30 annos natum cum dyspnœa inſigni per qvatuordecim dies conſtanter duraverat & per tres proximos dies qvam maxime increverat; ante aliqvot annos hæmoptyſi gravi hic æger laboraverat, impræſenti autem adeo afflictus, ut de reliqvis antecedentibus nullam rationem reddere potuerit; duabus licet inſtitutis venæſectionibus ſeqventi tamen poſtintroitum die placide exſpirabat. Thoracis diſ-

ſecti

ſecti cavitas dextra largum continebat ſerum, pulmo ipſe dexter tumoribus ſcirrhoſis variæ magnitudinis prorſus erat repletus, pericardium aqva copioſa plenum, cor enormis magnitudinis, pulmo ſiniſter exiguus a cordis nimia mole compreſſus, ad coſtas appreſſus & coalitus. Dum materia ſcirrhoſa apud hunc ægrotum ſingularis & talis naturæ fuit, ut in pus converti & evacuari haud potuerit, magis magisqve in pulmonibus collecta infarctum adeo univerſalem procreavit; exhinc reliqva vitia in pectore reperta & mortem ipſam declarare haud difficile eſt, ſc. e venis reſorbentibus compreſſis accumulationem ſeri in cavitate pectoris & pericardio, & e pulmone contra influentem ſangvinem enormiter reſiſtente cordis dilatationem ſenſim adeo creſcentem, ut circulatio ad vitam neceſſaria demum haud amplius peragi potuerit,

SEPTEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida valde freqvens 33 perſonas modico, 30 autem graviori gradu afflixit; in nonnullis junioribus evacuabantur vermes ſine dubio præcipuam morbi

cauſam conſtituentes, attamen ſingularem medicationem haud deſiderantes, utpote febris verminoſa revera bilioſæ indolis cenſenda eſt & qvatalis curanda; multi inſignem patiebantur congeſtionem ad caput cum ejusdem rubedine, æſtu, delirio & ſub progreſſu morbi obauditione, hiſce hirudines temporibus ſemel aut bis applicitæ atqve epithema frigidum profuerunt; non pauci maculis petechialibus notabantur; qvorundam morbum metaſtaſis ad pectus cum ſalutari expectoratione finivit; plures vertiginoſus ſtupor poſt devictam febrem affligere pergens veſicatorio in nucha tollebatur; inter hos puella qvædam reſtitit melancholica, qvandoqve ſat graviter delirans, variis fruſtra tentatis per acetum vini ad cochleare majus ter per diem ſanabatur; cuidam 44 annos nato graviſſime decumbenti die 28vo morbi ſupervenit tumor notabilis parotidis ſiniſtræ, qvi applicito licet cataplasmate emolliente ſenſim diſſipatus fuit, interea veſicatoria in ſuris antea applicita largiter ſuppurabant, & novum veſicatorium qvoqve nuchæ ſub decreſcente parotide impoſitum fuit, cui abundanti ſuppurationi fauſtus dein morbi eventus, & ut reſorptio materiæ depoſitæ haud funeſtam noxam creaverit, me judice adſcribendus eſt. Apud duos ſangvifluxus mentione haud indignus morbum comitabatur; alter horum qvadragenarius ſymp-

to-

tomatibus bilioſis modice ægrotans ſimul ab initio & per qvatuordecim dies hæmorrhagiam mox e naribus mox ex ore modicam qvotidianam patiebatur, lingva erat ſordida, facies & oculi flaveſcebant: cremor tartari omni hora alternatim cum decocto chinæ acido ægrotum ſanabat. Alter 26 annorum vehementiſſime & periculoſe ob morbi ambiguitatem decumbebat, jam qvinqve diebus, antequam noſocomium advenerat, ægrotans frigore & æſtu ſecum invicem alternantibus, cephalalgia, vertigine, ſapore malo, ſiti inſigni, vomituritione, & vomitu omnium ingeſtorum, nec non ſangvinis grumoſi, atqve dolore nonnullo abdominis, lingvaqve ſordida; ex vena ſecta miſſo ſangvine non phlogiſtico dolor abdominis disparebat & vomitus ſilebat, verum maculæ petechiis ſimiles ubiqve in facie & corpore provenerunt & e naribus ſangvis ſat largus effluxit, qvapropter mixtura acida porrigebatur; die 7mo ob redeuntem gravem dolorem abdominis per repetitam phlebotomiam educebatur ſangvis reſolutus cum cruſta mucoſa, debilitas mox enormis animadvertebatur & veſpera redibat cruentus vomitus, nunc certus de putrida ſangvinis reſolutione tanqvam principali morbi cauſa totum ad eandem compeſcendam converti animum, ideoqve decocti corticis peruviani uncias ſex cum ſpiritus vitrioli drachma

ad

ad cochlearia duo omni dimidia hora, nec non regimen in omnibus frigidum præſcripſi, die octavo ſangvis per os & nares nullum odorem aut ſaporem habens effluebat, alvus & prægreſſis morbi diebus & hoc bene aperta; die nono pulſus antea ſub morbo celer jam retardabatur, hæmorrhagia minor, obauditio notabilis, verſus veſperam delirium, ob qvod ſinapismi ſuris applicabantur; die 10mo ſomnus bonus, alvus bis aperta, nunc decoctum allatum modò omni hora ſumebatur; inſeqventibus diebus aliqvalis tuſſis cum ſputo ſangvineo aderat, & dejectiones alvinæ admodum fœtidæ ſangvineæ obſervabantur, ſenſim verò hæc omnia ſub uſu allati decocti ceſſabant, ſurditas autem ſat diu ſuperſtes erat. Nonne vehementiam hujus morbi conſtituit complicatio putridæ febris & morbi ſic dicti maculoſo hæmorrhagici? Febris, debilitas, delirium, obauditio illius præſentiam indubitato teſtabantur, hunc verò ſangvifluxus multiplex, potiſſimum maculæ faciei, febri putridæ qvatali haud competentes deſignabant; qvantum illi connubio cortex cum ſpiritu vitrioli prodeſſe potuit, a priori qvidem ob analogiam horum morborum credendum eſt, attamen per hanc experientiam certius addiſcimus. Mulieri cuidam etiam graviſſime decumbenti cum vomitu gravi, delirio, tremoribus die 17mo poſt ſomnum qvietum ſuper-

venit

venit ſalivatio largiſſima ad qvatuordecim dies protracta, revera critica, qvia ſub illa ſymptomata morbi ceſſabant, ſenſimqve ægrota convaleſcebat. Qvatuor moriebantur, duæ per largiſſimam menorrhagiam, unus ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo impedito, qvartus ob congeſtionem ad encephalum enormem.

2. Febres intermittentes nonnullæ, inter qvas qvartana evacuantibus & cortice ordinario incaſſum tentata per pulverem Hollandicum tollebatur; cuidam qvotidianæ cortice ſanatæ ſucceſſit tuſſis moleſtiſſima, veſicatorio inter ſcapulas applicito juvata; apud alterum febre intermittente ſpiritu vini cum pipere fugata ortus erat dolor artuum inferiorum imprimis iſchii ſiniſtri, per veſicatoria in ſuris & uſum ſolutionis gvajacinæ dolor primum locum reliqvit, ſed æqvali gradu ſuperiores artus petiit, illis ideo etiam impoſita veſicatoria dolorem prorſus absqve recidiva fugabant. Materiam morbificam poſt febres ſuppreſſas in corpore retentam & inſeqventes dolores & illorum per veſicatoria ſanatio ſuſpectam reddunt.

3. Singultus apud puellam 19 annos natam ſine cognita prægreſſa cauſa ſurrexerat jam qvatuordecim diebus durans, triduo proximo prorſus absqve ulla intermiſſione

tam

tam noctu qvam interdiu, pulſum inveni celerrimum irregularem, reliqvas autem ſanitatis functiones omnes illæſas; clysma ex aſſa fœtida & moſchi grana duo omni hora porrecta intra nychtemeron affectum hunc notabiliter mitigabant, dein rarius exhibita illa cara medicina & ſimul cardiæ applicitum epithema ex herbis aromaticis confectum in vino & aceto imbutum intra paucos dies ægrotam noſtram ab hac moleſtia prorſus liberavit & reſtituit. Singultus hic forſan ab animi pathemate, qvod ægra indicare noluit, obortus mere & meritò nervoſus cenſendus & nuncupandus eſt, utpote nullam aliam concomitantem ſanitatis læſionem ſecum ducebat, & qvia antiſpaſticis tantum remediis cedebat.

4. Spasmus tonicus ſ. ut æger ipſe dixit, crampus doloroſus ſpatio octo hebdomadum magis magisqve adauctus extremitates inferiores ſub qviete corporis ſedentis vel decumbentis infeſtabat, genua vel pedes involuntario flectens, manus verò & digiti earundem omnes contrario modo dum ſc. motum intendebant, per ſpasmum illum moleſtabantur, & prorſus contrahebantur, adeo ut miſer hic circiter qvadragenarius victum ſcribendo vel tubas inflando acqvirere ſolitus negotiis prorſus ineptus eſſet; ulcuſcula prurientia in cruribus haud in reliqvo corpore per qvatuordecim dies

qvo-

qvoqve aderant; inter antecedentia abuſum ſpiritus frumenti pro cauſa principali morbi habebam; liqvor nervinus ad guttas triginta ter per diem, magneſiæ albæ florum ſulphuris ana cochleare minus mane & veſpera intra tres circiter ſeptimanas allata ſymptomata plenario tollebant, ſubſeqvente qvidem nonnulla oppreſſione pectoris per venæſectionem triplam ſanata; talis membrorum affectio forſan alio haud modo ab arthritide discrepat, qvam qvod materia nociva in hac nervos ſentientes, in illa nervos moventes affligat; indoles autem cauſæ eadem fuit ſc. acrimonia ſeri vitiis diætæ generata, iisdem remediis ac in arthritide corrigenda.

5. Dolor preſſorius medii pectoris a refrigerio contractus apud virum 28 annorum jam tribus ſeptimanis aderat cum dyſpnœa tuſſiqve valde moleſta ſicca, hiſce octiduo junctus fuit tumor abdominis ſat notabilis, æqvabilis & ſponte & ab attactu dolens, non fluctuans, alvum interea qvodammodò naturaliter depoſuerat, flatus autem retinebantur, pulſum inveni parum celerem & tenſum; inſeqventi ſextiduo vena octies ſecta & adhibita camphorata dolorem abdominis fugabant; tumor ejusdem verò perſiſtebat, imo increſcebat demum cum aliqvali fluctuatione, crura itidem œdematoſa reddebantur, & pectoris

ſta-

ſtatus non mutabatur; variis diureticis fruſtra tentatis in uſum traxi mixturam ex aqvæ menthæ unciis octo, ſpiritus ſalis dulcis, aceti ſcillitici ana drachmis tribus, ſyrupi altheæ ſesqviuncia ad cochlearia duo majora bihorio, ope cujus diureſis augebatur, & omnia ſymptomata tam pectoris qvam abdominis ſenſim in plenariam ſanitatem convertebantur. Nonne materia rheumatica, qvalis per ſuppreſſam transſpirationem progignitur, morbo huic originem dederat? Atqve pleuram aggrediendo pectoris, peritoneum autem irritando abdominis ſymptomata produxerat, prior effectus qvippeqvi ſat communis etiam ſat probabilis eſt, qvomodo autem e dolorifico forſan, inflammatorio peritonei ſtatu abdominis & vix non inteſtinorum expanſio notabilis explicanda eſt? Nonne muſculi abdominales pro parte inſerviunt ad coërcendam & moderandam vim elaſticam aëris inteſtinalis? Intumeſcentia abdominis in multis mox defunctis hanc muſculorum functionem morte ſublatam pro cauſa habere & teſtari videtur; vix ideo abſonum eſt, in noſtro ægroto ſtatuere actionem muſculorum abdominalium ob dolorem ſubjacentis peritonei impeditam, & ex hoc defectu rarefactionem nimiam aëris inteſtinalis declarare; ſubſeqvens collectio ſeri hydropica in abdomine & cruribus partim ex interrupta per inflam-

ma-

matonem reſorptione partim e multiplici venæſectione intelligi poteſt.

6. Hydropem anaſarcam jam octo hebdomades patiebatur fœmina 38 annorum, urinam parcam mittens, in reliqvis verò omnibus ſe bene habens, haud aliam morbi cauſam qvam diuturnum mœrorem indicare valens; nonnullis aliis diureticis fruſtra adhibitis per emulſionem ammoniacalem, urinæqve fluxum exinde largiter promotum ſanabatur. Non incongruum videtur, protracto animi pathemati, qvo motus humorum lenteſcit, allatum morbum adſcribere.

7. Exanthema ſingulare conſiſtens in tuberculis rubris duris parum dolentibus, non ſuppurantibus, magnitudine diſſecti piſi gaudentibus, discretis in facie & manibus ſed in cruribus fere in unum continuum confluentibus, apud puellam 30 annorum rite menſtruatam qvarto circiter die febris bilioſæ indolis apparuit; cremor tartari, emetica, camphorata, laxantia ſymptomata bilioſa tollebant; perſtitit autem cutanea affectio varii qvidem gradus ad menſem usqve, demum cum oppreſſione ſat moleſta pectoris, qvam materiæ exanthematicæ forſan ob catharſin ſæpe repetitam pro parte introverſæ adſcripſi. Tandem lac ſulphuris pulveri nitroſo camphorato

admixtum, nec non balneum vaporis ad ſudorem, qvi aliàs nunqvam adfuerat, promovendum, votis ad reſtitutionem ægrotæ reſpondebant. Communi humorum depuratione & evacuatione inutili reperta, analogia me ad uſum medicaminum ſcabiei convenientium commovebat, & fortunato qvidem memoriæ vix indigno eventu.

8. Efflorescentia cutanea in altera 24 annos nata primò ſeſe ſub forma ſcabiei ſiccæ exſerebat; ſulphureis & balneo ſat diu adhibitis & non juvantibus; mercurius dulcis ad ſalivationem largam, protractam porrigebatur, qva abſoluta locum ſcabiei ſubibat herpes latus notabilis primò in manibus & in utraqve gena cum tumore & rubedine, contra qvem affectum nil aliud juvare potuit qvam caro bovina recens omni veſpera partibus læſis applicita. Topici hujus efficaciam, qvod maxime inſonti modo ſc. extrahendo materiam morbificam agit, pluries compertus fui.

SECTIONES.

9. Inflammatione abdominali cum ſolitis ſymptomatibus vir 49 annos natus jam ſextiduo anteqvam ad noſocomium venit, laboraverat; ſeptimo die ſingultus & octavo vomitus

mitus jungebatur, qvi nono die ſtercoreus fiebat dein continuans ad undecimum diem, qvi ſub miteſcente dolore & ſudore viſcido per placidam mortem nullis remediis avertendam finiebatur. Aperto cadaveris abdomine mox effluxit liqvidum ſpiſſum manifeſto excrementitium, qvod etiam in cavitate abdominis abundabat, inteſtina tenuia qvoad totum tractum valde diſtenta, paſſim inflammata, pars inteſtini ilei colo vicina qvam maxime contracta, ſphaceloſa & magno foramine, per qvod materia excrementitia exprimi poterat, notata, inteſtina craſſa valde contracta, meſenterium lividum, & hepar parvi voluminis, reperiebantur. Inter multos enteritide defunctos & diſſectos rarò rupturam inteſtini, nunqvam autem per hanc in cavitate abdominis effuſa adeo copioſa excrementa obſervavi, probabile eſt, inflammationem ſupervenisſe tempore, qvo inteſtina contentis admodum repleta fuerunt; adeo ut hæc validiore vi ad ſolvendos inteſtini parietes agere potuerint.

10. Dolore medii abdominis vir 62 annos natus jam qvatuordecim diebus, cum in noſocomio ſuſceptus fuerit, ægrotaverat, initio cum vomitu dein ſilente, aliàs tumore abdominis duro, alvi fluxu impedito excepta aliqvali excretione mucoſa freqventi cum tenesmo, flatus autem nulli abierunt nec ſurſum

nec deorſum, pulſum inveni celerem tenſum, nulla ſigna herniæ aderant; ſtatus hic adhuc ſedecim diebus durabat, venæſectione repetita; camphoratis, clysmatibus haud mutandus; biduo vitæ ultimo vomituritio continua accuſabatur absqve vero vomitu, cum pulſu debiliſſimo, ſudore viſcido, demum placida morte terminatis. Aperto cadaveris abdomine vidimus ventriculum enormis voluminis, ſubſtantiæ tamen naturalis; omentum rubrum, pars modo exigua inteſtinorum tenuium apparebat, reliqva major pars non niſi ſat valida chirurgi vi extrahi poterat e ſede occulta ſub tumore inſigniter prominente, ad primum aſpectum peregrino in regione illiaca ſiniſtra & pelvi ſito; hunc tumorem curatius examinatum invenimus eſſe volvulum, ſc. totum colon transverſum intromiſſum & ſuſceptum in colo deſcendente & qvidem tanta cohæſionis vi cum ſe invicem nexa, ut pars ſuſcepta a ſuſcipiente ſeparari & educi prorſus neqviverit; prior itidem nempe ſuſcepta pars rubra & inflammata erat, initium inteſtini coli qvoqve maxime anguſtatum & cum partibus vicinis coalitum obſervabatur; Lien minimus forſan ob compreſſionem ab adjacente & expanſo colo. Volvulum hunc vivente ægroto exſtitiſſe, adeoqve poſſibilem eſſe me judice extra dubium ponit coalitus partium volvulum conſtituentium, utpote hic

ne-

neceſſarius vitæ effectus eſt; verum e qvanam cauſa tam ſingularis inteſtini dislocatio derivanda eſt? Nonne anguſtatio & concretio principii coli accuſanda eſt, mediante qva una pars coli ob volumen minus ab altera latiore excipi poterat.

11. Dolore capitis enormi 3 dierum ſponte evanido apud virum fere qvinqvagenarium ſubitò in regione infraumbilicali ſurgebat jam ſextiduo durans tumor caput infantile æqvans, dolens, preſſioni haud cedens cum urinæ fluxu involuntario ſtrangurioſo & paralyſi extremitatum inferiorum; alvus & appetitus erant naturales; ſangvis ſæpius e vena miſſus phlogiſticus, clysmata, camphorata, laxantia, epithemata aromatica abdomini applicita prorſus nullam mutationem morbi aut abdominis produxerunt; qvamvis urina ſponte effluere pergebat ſat larga in vitro collecta colorem citrinum habens, tandem tamen ſuſpicio nata fuit, qvod tumoris cauſa eſſet veſicæ repletio & diſtentio; hinc applicitus catheter tres libras urinæ eduxit, & tumor abdominis prorſus ceſſavit; cathetere dein in urethra relicto effluxit merus ſangvis, illo ideo ablato reſurgebat tumor abdominalis cum ſtranguria per repetitum vero catheteris uſum & eductam urinam ceſſans. Interea vires decreverunt, crura tumuerunt, alvus ultimis vitæ diebus in-

involuntario fluxit, qvibus miſeriis menſe morbi abſoluto finem impoſuit mors. In aperto cadaveris abdomine nil aliud præter naturam invenimus qvam veſicam urinariam, magnitudine nempe inſolita gaudentem nec non membranis valde craſſis imprimis verſus collum, urina ſangvinea repletam & qvoad ſuperficiem internam muco puriformi obductam; ſoluta & explorata ſpina vertebrarum, arcus vertebræ tertiæ lumbaris parum carioſus deprehendebatur & medulla ſpinalis intra hunc locum ſita parum mollior qvam alibi videbatur. Medico qvam maxime prodeſt, hoc caſu addiſcere & attendere qvod aliàs vix credendum eſt, & modo rariſſima tradit obſervatio, qvod nimirum morbi apparenter prorſus oppoſiti iſchuria & enureſis, ſive retentio & fluxus urinæ compatibiles & ſimultaneo tempore præſto eſſe poſſent; ipſe enim, qvod ingenue fateor, talem complicationem ignorans nec ſuſpicans, adeo diuturno tempore indolem tumoris abdominalis comprehendere, atqve ideo illi adaptata auxilia præſcribere neqvibam; ſigna cauſæ ſub ſimili recurrente complicatione me judice forent: 1) Parca copia effluentis urinæ qvæ tamen apud noſtrum ſatis larga fuit; ideoqve pro incerto & inconſtanti ſindicio cenſendum eſt. 2) Stranguria fluente licet urina urgens, utpote hæc irritationem & diſtentionem veſicæ

pro-

prodit, & rationem ſufficientem dat 3tium atqve certiſſimum inveniendi ſignum ſc. catheteris uſum, illoqve procedentem urinæ fluxum. Paralyſi nervorum veſicæ pertinentium allata ejusdem ſingularis affectio merito adſcribitur ſvadente reliqva membrorum conſtitutione paraplectica; qvonam autem modo hunc effectum produceret paralyſis? Si totalis & plenaria hæc adfuiſſet nimirum & corporis veſicæ & ſphincteris, etiam plenarius foret effluxus urinæ & nulla ejusdem retentio; ad hanc verò producendam neceſſaria erat actio & contractio ſphincteris non qvidem completa & ſufficiens, tunc enim nullus erit fluxus involuntarius, ſed incompleta & inſufficiens, adeo ut dum pars urinæ effluxit, altera copioſior pars retenta fuerit; an ad hoc phenomenon declarandum paralyſin incompletam ſphincteris ſtatuere opus eſt? Vix credo, dum deprefſorius niſus diaphragmatis & certus repletionis veſicæ gradus ſufficere mihi videntur ad ſphincteris reſiſtentiam pro parte vincendam absqve illius paralyſi ſ. ſuperſtite illius vi integra, qvalem ſententiam me alia ſvadent exempla, qvibus didici ſpincteris reſolutionem eſſe effectum apoplexiæ, haud paraplegiæ, & vice verſa ipſius veſicæ paralyſin e poſteriori, haud e priori cauſa produci.

12. Dolor hypochondrii dextri apud virum jam qvatuor menſibus, cum in noſocomio ſuſceptus fuerit, cum alvi fluxu liqvido qvandoqve ſangvineo durabat, ſimul retulit æger ſe ante ſeptem menſes ob lapſum gravem paſſum fuiſſe contuſionem in hypochondrio jam affecto, ubi nunc tumor notabilis extus prominebat continuam pulſationis ſenſationem habens; dejectiones alvi mox purulentæ obſervabantur, tumor hypochondrii ſenſim mollior, poſt qvindecim dies in noſocomio exactos a chirurgo incidebatur primò merum ſangvinem, dein pus fœtidum effundens; reliqvus ægroti ſtatus ſc. diarrhœa purulenta qvandoqve ſangvinea ſub uſu decocti corticis peruviani & gummi arabici non mutabatur, ſed qvinqve ultimis vitæ diebus jungebatur tuſſis cum ſputo largiſſimo puris interdum ſangvinis; triplice hac effuſione puris per expectorationem, alvum & ulcus vires adeo conſumebantur, ut poſt menſis ſpatium in noſocomio abſolutum exſpiraverit æger. Aperto illius ventre reperimus hepatis lobum dextrum cum peritoneo & diaphragmate coalitum; facta ſeparatione apparebat collectio notabilis materiæ purulentæ, in qvam reſoluta erat magna hepatis concreti portio; puncturam qvoqve vivente ægroto inſtitutam in hunc abſceſſum penetrare invenimus; perluſtrato pectore detegimus ſat magnum in diaphrag-

phragmate foramen abſceſſui hepatis reſpondens, atqve illi vicinam extremitatem pulmonis dextri conſumtam & corroſam, alibi autem nullum vitium aut extravaſatum. Cauſa apparenter eadem non ſemper eosdem producit effectus; pluries vidi abſceſſus hepatis & ſine ruptura lethales vel per effuſionem puris in cavitate abdominis funeſtos, aliam verò etiam poſſibilem talis morbi actionem & terminationem præſens demonſtrat caſus, ſcilicet puris collecti vim ſolvendi vicinas partes diaphragma & pulmonem, qvod vix injuſto tribuitur concretioni ſuppurati, hepatis cum diaphragmate & peritoneo, ob qvam ruptura aliàs ſolita impedita fuit, & pus ob diuturnam remoram adjacentia viſcera lædendi occaſionem habuit.

OCTOBER.

1. Febre bilioſo-putrida 42 perſonæ, ſedecim levius reliqvi gravius decumbebant; hac vice ſat malignus & ad metaſtaſin pronus videbatur morbus; cuidam per aliqvot hebdomadas ægrotanti ſupervenit tumor unius parotidis ſub uſu cataplasmatis emollientis ſen-

ſim absqve ſuppuratione evaneſcens; verum veſicatoria tam in nucha qvam in brachiis applicita largiter interea & diu ſuppurabant, qvo auxilio periculum e retrogreſſa materia metaſtatica ſine dubio averſum fuit, & æger fauſte evaſit. In duobus ſub decreſcente morbo oriebatur tumor dolens rubens in criſta oſſis tibiæ, apud alterum unius, apud alterum utriusqve cruris, a promovenda ſuppuratione timebatur læſio oſſis, hinc ungventum neapolitanum applicitum fuit, ope cujus tumor allatus ſenſim absqve ſeqventi noxa ſolutus & diſſipatus fuit; nonnulli metaſtaſin ad pectus patiebantur. Septem obierunt, duo mox poſt introitum agonizantes, duo ob congeſtionem ad encephalum enormem, duo ob morbum pectus petentem & una ob ulcus inſigne lumborum.

2. Febres pleuriticæ nonnullæ; qvædam jam decem diebus ægrotans tamen venæſectione tripla & dein applicito in pectore veſicatorio juvabatur; alter ſeptem diebus gravem patitur dolorem pectoris totius ſiniſtri cum impedimento notabili reſpirationis tuſliqve ſicca; phlebotomia qvinqvies triduo inſtituta dolorem pectoris ſolvebat ita ut primò lumbos, dein crus petierit, tandem prorſus vagus redditus evanuerit; qvinam caſus inſerviunt ad demonſtrandum & recordandum

emo-

emolumentum etiam e ſera ſangvinis miſſione in pleuritide, utpoteqvæ non rarò e cauſa rheumatica exſurgit. Difficilis qvodammodo diagnoſis fuit apud virum 42 annorum; huic poſt motus febriles qvinqve dierum & eapropter ſumtum oleum juniperinum excitatus fuerat largus ſudor, poſt qvem exorta jam octo diebus durant, æſtus continuus, ſuſurrus capitis & aurium, ſapor malus, anorexia, tuſſis freqvens cum ſputo leviter ſangvineo, ſub illa, aliàs non, aliqvalis dolor intra coſtas ſpurias utriusqve lateris ſentiebatur, lingva & alvus qvodammodo naturales erant, pulſum inveni celerem tenſum; in hoc caſu, ubi nullus circumſcriptus fixus conſtans aderat dolor & ſenſatio moleſta laterum potius pro effectu moleſtæ tuſſis qvam pro vera inflammatione æſtimari poterat, qvam maxime e conditione pulſus argumentum ſumſi pro antiphlogiſtica methodo; qvater ideo vena ſecta & adhibitis camphoratis die undecima ſomnus, ſudor largus, urina ſedimentoſa in ſalutem ægri morbum judicabant.

3. Dyſenteria paucos invadebat, inter qvos notatu dignus erat vir 55 annos natus hoc morbo poſt ſumtam tincturam qvandam catharticam correptus & jam octiduo ægrotans cum excretione larga ſangvinis & demum juncto ſingultu; in uſum vocata & per ſex

dies

dies adhibita mixtura e mannæ calabrinæ unciis duabus ſolutis in aqvæ fervidæ unciis qvinqve & adjectis olei olivarum albi ſesqviuncia, mucilaginis gummi arabici uncia, cujus cochlearia duo majora qvovis bihorio ſumebantur, ſingultus ille adeo mali ominis ceſſabat, verum alvi fluxus fere idem permanebat pulvere radicis gei urbani initio omni hora, dein bihorio ad cochleare minus porrecto diminutus, verum ſurrexit ardor abdominis cum lingva qvaſi excoriata ad aphtas inclinante, hinc decoctum radicis ſaleb alternatim omni hora cum allato pulvere præſcripſi, & ſic ægrotum noſtrum lente tamen plenario reſtitui. Singultum in dyſenteria non lethalem rariſſime obſervavi, forſan origo morbi in noſtro a remedio draſtico hoc ſymptoma minus periculoſum reddidit, qvam ſi a vero miasmate maligno dyſenterico productum fuerit.

SECTIONES.

4. Dolorem fixum pectoris ſiniſtri cum tuſſi, ſputo mucoſo ſangvineo, & præterea cephalalgiam vertiginoſam, ſaporem malum, debilitatem ſat notabilem jam qvinqve diebus, cum ad nos venerit, patiebatur vir 36 annos natus; tripla primis diebus inſtituta ve-

næ-

næsectione dolor pectoris siniſtri fere evanuit, verum enormis fiebat debilitas, & pulſus antea ſat fortis in exiliſſimum fere absqve diſtingvendis ictibus mutabatur, reliqva qvoqve ſymptomata bilioſa perſiſtebant, nunc emeticum porrigebatur, poſteaqve ſolita methodus antiputrida; debilitas tamen continuabat cum aphtis, tuſſi nonnulla fere ſicca, anorexia plenaria, vomitu freqventer ſpontaneo bilioſo, urina ſemper intenſe rubra cum ſedimento multo mucoſo, demum poſt menſem exactum allata ſymptomata ſenſim evaneſcere ceperunt, pulſus magis elevatus, vires & appetitus meliores & urina fere naturalis reddebantur, verum ſubitò absqve ullo diætæ vitio die 37mo a morbi initio ſupervenit inſigne frigus dimidiæ horæ, qvo finito æger rationis uſu inveniebatur privatus, nulla ingeſta admittens, bilioſa nigra, fœtida freqventer evomens & excrementa in lecto deponens, urina initio impedita per catheterem educenda, dein ſponte fluens cum ſedimento manifeſte purulento, cuinam ſtatui poſt qvatuor dies mors finem impoſuit. Aperto cadaveris abdomine omnia inteſtina contracta reperiebantur, in vicinia hepatis bile admodum tincta, hepar in ſuperficie convexa tumorem notabilem ſteatomatoſum continebat, in concava circa veſicam felleam valde nigreſcens, veſica biliaria includebat bilem denſam nigram

gram ſabuloſam nec non duos calculos unum piſo majorem, alterum minorem cum ſuperficie aſpera, renes & imprimis ureteres enormis voluminis aliàs ſani erant, veſica urinaria lotio repleta, ſed naturalis ſubſtantiæ; pulmo ſiniſter cum pleura coalitus in parte ſuperiore ſphacelo correptus & notabilem habens aperturam, per qvam intromiſſi digiti cavum ſat magnum detegebant, verum nullam contentam materiam, nec extra pulmonem aliqvod aderat extravaſatum, alter pulmo ſanus. Corrupta calculoſa cyſtidis bilis absqve dubio acrimonia & irritatione complicata in noſtro caſu bilioſa ſymptomata produxit initio modica, qvalia ſaburræ bilioſæ in genere adſcribi ſolent & poterant, dein graviora ab illa communi cauſa haud declaranda, ſc. moleſtum & freqventem bilis corruptæ vomitum, calculis biliariis magis proprium, qvalem ideo cauſam in ſimili recurrente complicatione ſuſpicari præſens caſus docet. Verum e qvonam fonte prodiit pus diureſi excretum? in viis urinariis nulla reperta fuit læſio aut ſuppuratio hoc producere valens; ſat probabile, imo certum eſt, purulentam illam materiam in pulmone ſiniſtro poſt mortem cavo & vacuo reperto generatam & collectam fuiſſe, deinceps verò reſorptam atqve per vias uriniferas eliminatam, qvæ forſan ob volumen enorme & meatus ideo ampliores

ſo-

lito magis ad talem excretionem dispoſitæ fuerunt. Vix aliud exemplum noſtro certius demonſtrat, pus urinæ mixtum e ſuppuratione extra vias uriniferas ortum trahere poſſe.

5. Febre continua duodecim diebus ægrotans puella octo annos nata jam cum plenaria ignorantia ſui ipſius & freqventibus motibus convulſivis adhuc in noſocomio tribus vixit diebus paroxysmos epilepticos ſæpe patiens, extra illos prorſus ſtupida & ſomno profundo obruta ad mortem usqve. Diſſecto cadaveris cranio vaſa cerebri ſangvine valde plena reperiebantur; nec non largiſſimum extravaſatum ſerum tam in ventriculis omnibus qvam in baſi cranii; cuinam collectioni copioſæ convulſiones, epilepſiam, lethargum & ipſam demum mortem imputare opportet, num vero metaſtaſis aut alia lentius agens cauſa abundantiam illam ſeri produxerit, cum decurſus morbi & ſtatus ægræ prægreſſus mihi haud innotuerint, definire neqveo.

6. Dolor apud puellam 36 annorum in regione renali dextra ut retulit, poſt motum erroneum pedum mox ortus erat jam octiduo durans, tribusqve proximis diebus cum vomitu freqventi junctus; venæſectione ſæpius repetita & adhibitis camphoratis dolor notabiliter decrevit, extremitas autem inferior dex-

dextra intumeſcebat; huic ſtatui altero præterlapſo menſe acceſſit moleſtus dolor abdominis cum ejusdem expanſione, vomiturition & vomitu freqventi, dolor renalis tamen modicus perſiſtebat cum œdemate extremitatis dextræ inſigni, & decubitu tantum in latere affecto tolerabili, alvus qvodammodo naturalis erat, verſus finem tertii menſis lingva fiebat aphtoſa & ægra moriebatur. Aperto cadaveris abdomine multum purulentum liqvidum effluebat in cavitate contentum, omentum inflammatum cum peritoneo in regione pubis coalitum, pone peritoneum fons extravaſati demum detegebatur ſc. ren dexter prorſus in pus converſus, cujus larga copia ad tractum oſſis ilei ſub muſculis pſoas & illiaci interni qvoqve aderat. Ruptura abſceſſus renalis ſine dubio altero menſe morbi ſc. tempore, qvo abdominis dolorifica expanſio acceſſit, facta fuit, attamen ægrota menſem integrum ſupervixit; alios antea obſervavi abſceſſus internos hepatis vel lienis in cavitate abdominis disruptos citamqve inde ſeqventem mortem, hoc autem exemplo didici, ſimilem fieri poſſe rupturam absqve eventu adeo celeri; forſan pus e rene effuſum mediante peritoneo impeditur, qvò minus vim adeo noxiam ſed tardius funeſtam exſerat; caſus noſter itidem nexum confirmat inter affectum renem & intumeſcentiam extremi-

tatis

tatis inferioris ejusdem lateris, ita ut ab hac ad illum aliis simul præsentibus signis certius concludere liceat.

7. Diarrhœa trimestris sensim juncta cum hydrope anasarca, tumore abdominis tamen non fluctuante, tussi sicca atqve dyspnœa demum suffocativa virum 59 annorum necabat. Aperto cadaveris abdomine omnia intestina aëre valde expansa, alba, glabra, ad latera intestinorum prominentium aderat serum largum fœtidum turbulentum; glandulæ mesenterii valde duræ, hepar pallidum parvum, lien minimus mollis cum corrugata tunica; pectoris cavitas utraqve largum includebat serum, cujus aliqvalis qvantitas etiam in pericardio aderat. An diarrhœa hunc hydropem progenuit, aut uterqve morbus ex eadem causa sc. obstructis glandulis meseraicis melius explicari potest? Prioris exinde ortum ob impeditam absorptionem derivare jam satis receptum, atqve probabile est; qvomodo autem nasceretur hydrops? Nonne ob defectum resorbendi chyli, persistente nilominus inhalatione per venas communi aqvei humoris sensim generata fuit inopia veri sangvinis s. cruoris, & e contra abundantia seri, e qva mixtione & proportione læsa humorum lentor, stagnatio atqve collectio morbosa facile intelligi potest; præsens casus

etiam docet, aſcitem poſſibilem eſſe absqve fluctuatione abdominis, qvando ſc. ut in noſtro ægroto inteſtina valde expanſa & antrorſum protruſa qvaſi intermedium efficiunt parietem, ob qvem ſerum extravaſatum unius lateris in extravaſatum lateris oppoſiti agere & motum propagare neqvit.

NOVEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida perſonas 53 afflixit, qvarum viginti modicum, reliqvæ graviorem morbi gradum habuerunt; adeo licet freqvens tamen benigni moris erat morbus; alvi mediocrem ſubductionem ſpontaneam ad tres vel qvatuor vices nycthemero boni ominis ad faustum citumqve morbi finem promovendum obſervabam; in paucis, ubi nimis laxa videbatur alvus, ad ſalutarem gradum ope decocti corticis peruviani cum liqvore nervino juncti diminuta fuit. Cujusdam morbus ſolvebatur ſalivatione largiſſima qvaſi e ſumto mercurio & ad tres hebdomades protracta. Apud alterum rheumatismi complicatio cum putrida diagnoſin difficilem reddebat, dolor ſc. inceperat in capite, poſt qva-

tuor

tuor dies deſcenderat ad pectus, indeqve triduo elapſo petierat ventriculum, ubi ſub introitu ad noſocomium hærebat cum intolerantia attactus, vomitu ingeſtorum omnium, diarrhœa nonnulla haud dolorifica; ſangvine ſemel miſſo phlogiſtico & liqvore nervino bihorio porrecto vomitus & diarrhœa inſeqventi die ceſſabant & dolor tantum in hypochondrio dextro accuſabatur veſicatorio mox applicito fugatus, poſtea ſtupor & debilitas enormis gradus diuqve protracta ſufficientem de febre putrida convictionem dederunt, atqve ſolitis remediis decocto corticis peruviani cum ſpiritu vitrioli, camphora, moſco, veſicatoriis artuum ſanabantur. Tres moriebantur, qvidam ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo fœtidiſſimo; altera jam ad ſummum morbi faſtigium perducta ſub introitu, tertius ob congeſtionem funeſtam ad caput.

2. Intermittentes febres nonnullæ, qvarum qvatuor pulvere febrifugo Hollandico cito & perfecte ſanabantur.

3. Inſolitus morbus apud virum 42 annorum me anxium de ejusdem eventu reddebat, nonus jam erat dies, qvo ad noſocomium venit hic æger referens: ſe dolorem initio genu aggreſſum impoſito ſacculo aromatico fugaviſſe, qvo facto exortus erat dolor vagus

mox pectoris mox abdominis cum alvo segni & jam per biduum proximum adjuncto singultu; abdomen impræsenti expansum haud dolens ab attactu, pulsum celerem debilem & maculas præterea lividas petechiis similes ubiqve in corpore etiam in facie dispersas inveni, urina erat naturalis, nulla affectio capitis nec alia aut febris putridæ aut scorbuti signa præsto fuerunt; semel ante introitum vena secta erat, & vesicatoria in suris applicita, qvorum suppuratio adhuc continuabat; mixturam e camphora & mosco exhibebam & suppurationem in cruribus per ungventum digestivum continuare curabam, alvus interea partim sponte vel per clysma aperiebatur, reliqvus status manebat idem ad diem decimum septimum, tunc surgebat abdominis dolor & flatus abire haud potuerunt, hinc sangvis mittebatur phlogisticus; postea genuum nec non in juncturis scapularum dolor sentiebatur, qvo iterum post aliqvot dies evanido, cardia magis afflicta fuit cum eructatione freqventi singultuosa, hoc symptoma iterum in articularem dolorem transibat, qva occasione observata & simul præsentibus sorditie lingvæ & defectu appetitus solutionem tartari emetici ad effectum præbui cum levamine & restitutione appetitus; die 3tio morbi aphtæ apparebant & urina ante hac naturalis sedimentum mucosum deponebat, & ab hoc tempore symptomata mor-

bi,

bi ſenſim ad ſtatum naturalem mutabantur & maculæ evaneſcebant. Symptomatum hunc caſum conſtituentium origo a dolore articulari topicis profugato, atqve eorundem dein obſervata vaga ſedes, arthritidem qvidem anomalam deſignabant, attamen annexæ maculæ petechiis ſimiles me dubium reddebant, numne etiam alia adfuerit complicatio; tunc mihi profuit, recordari aliud licet unicum in hiſce diariis antea notatum exemplum ſimile arthritidis anomalæ maculoſæ, & in poſterum duplicata hac experientia adhuc firmior redderetur talis diagnoſis. Conſtat qvoqve hac hiſtoria, medicationem arthritidi anomalæ in genere utilem ſc. per diaphoretica & derivantia etiam convenire ſub allato macularum connubio; maxime autem attendere oportet ad effectum innocuum & proficuum ex inſtituta emeſi; theoretice enim dubitari poterat de ſecuritate irritantis emetici tempore, qvo influxus materiæ arthriticæ ad canalem inteſtinorum obſervatur, noſtro tamen exemplo patet, ſub juſta cautela, dum ſc. morbus externas partes occupat, & cum ſuſpicio crūditatum materiam arthriticam ad inteſtina trahentium adſit, emeticum & tutò & proficue porrigi poſſe.

4. Convulſivo morbo per novem hebdomades puella 16 annos nata ita fuerat af-

flicta, ut cardialgia qvotidie ad octo vices recurreret secum ducens intumescentiam abdominis, tremorem brachii dextri & labii inferioris atqve impotentiam loqvendi, qvalis paroxysmus ad qvadrantem horæ salva tamen conscientia sui ipsius durare solebat, alvus interea fuerat naturalis, dolorem punctorium abdominis sentiverat & ascarides evacuaverat ægrota; proxima hebdomade anorexia & sapor amarus reliqvis juncta erant, post porrectum emeticum ejusqve bonum effectum exhibui pulverem paratum e radicis valerianæ sylvestris uncia media, refrigerantis uncia & mosci orientalis granis qvatuor ad cochleare minus trihorio, sub cujus usu paroxysmi allati sensim decrescentes intra octo dies evanescebant absqve reversione.

5. Diarrhœa habitualis apud virum 39 annorum in Islandia primo exorta jam qvindecim hebdomadis durans cum vel absqve dolore abdominis, & evacuatione interdum sangvinea; variis aliis frustra tentatis per pulverem e radicis gei urbani uncia dimidia, corticis cascarillæ, simarubæ, ana drachmis duabus ad cochleare minus primò omni bihorio dein rarius exhibitum sedabatur, decrescente alvi fluxu oriebatur dolor pectoris, artuum & capitis, qvi missione sangvinis & vesicatorio inter scapulas appositò tollebatur.

Sec-

SECTIO.

6. Dolorem gravem preſſorium pectoris & præcordiorum fœmina 55 annos nata qverebatur diuturni temporis qvod tamen definire neqvibat, verum qvatuor proximis diebus valde exacerbatum cum vomituritione, pulſum deprehendi tardum & debilem, inſeqventi poſt introitum nocte ſubito & placide exſpirabat. In aperto cadaveris abdomine prorſus nullum vitium aderat, in pectore pulmo ſiniſter ubiqve ad coſtas accretus erat, hic tamen & alter ſanus, cor collapſum ſangvine vacuum excepto ſinu dextro, qvi enormis voluminis erat, repleto & diſtento per polypum magnum valde compactum figura ſinus præditum nec non duobus ramis polypoſis ad tres pollices longis, qvi in vena cava utraqve includebantur. Num polypus hic repertus vivente ægrota exſtitit? Hoc dubitari neqvit, dum e ſangvine prorſus uti poſt mortem ſtagnante & qvieſcente tale formari incrementum omni experientiæ contradicit; num verò ultimis vitæ horis generatum fuit? aut tempore diutius prægreſſo adeo ut tanqvam cauſa morbi mortisqve æſtimari potuerit? Non nego, polyporum talium ortum in plurimis ſat probabiliter intelligi & explicari ex actione cordis ſub vitæ finem depravata & debilitata, adeo ut ſangvis cordis ſimili commoveatur

modo, qvo ſangvis recens extra corpus conqvaſſatus in polypoſa concrementa coit; ſæpe numero polypos cordis & ni fallor, fere ſemper in ventriculis & cum adjuncto multo ſangvine vel fluido vel condenſato obſervavi, ad qvorum intelligendam generationem apprime & maxime convenit allata theoria; nonne verò perturbatus cordis motus etiam diu ante mortem exiſtere poteſt & anſam dare formationi polypi? Saltem hæc hypotheſis nullam contradictionem involvit, non enim impoſſibilem perſpicio continuationem vitæ ſub præſente polypo, dummodo & qvamdiu hic non omnem ſangvinis transfluxum per cordis meatus impedit; qvid, qvod! cum probabilis ſit illa hypotheſis, e qva data phœnomena apte derivari poſſunt, polypum in noſtra ægrota ſat diu exiſtentem & tanqvam morbi mortisqve cauſam ſtatuere audeo, ob hujus enim reſiſtentiam contra ſangvinem ad cor fluentem non poterat non oriri repletio & diſtentio dolorifica vaſorum pulmonalium indeqve incuſata oppreſſio præcordiorum & pectoris magis magisqve adaucta juxta incrementum polypi; ob inopiam verò lentumqve & difficilem influxum ſangvinis in corde ſuſcipiendi, pulſus neceſſario uti in noſtra ægrota redderetur tardus & debilis, tandemqve cum polypus circulationis viam prorſus obturaviſſet, per mortem interruptus & exſtinctus.

De-

DECEMBER.

1. Febre bilioso-putrida 54 ægrotabant, 17 modico, reliqvi graviori gradu affecti. Stupor, nervosæ debilitatis effectus & signum, solitò freqventior & major adesse mihi videbatur, qvi præter vesicatoria in suris & qvandoqve simul in brachiis etiam crebrum mosci usum desiderabat, qvo medicamine præmature sepositò renasci & increscere stuporem, iterumqve illo repetito hunc utplurimum evanescere indubitato observavi, itaqve de mosci egregia contra putridas febres utilitate convictus fui. Apud qvandam huic morbo jam per octo dies duranti ab initio junctus erat dolor punctorius fixus pectoris sinistri cum tussi sicca, pulsumqve inveni celerem tensum; phlebotomiam semel institutam adhuc repeti curabam, sed qvia sangvinem inveni mollem absqve crusta & dolor pectoris parum decrevit, porrexi emeticum, post cujus effectum dolor pectoris prorsus cessabat, symptomata autem putrida persistebant ad magnum gradum increscentia, cortice, camphora, mosco, vesicatoriis demum sanata. Altera jam qvatuordecim diebus ægrotaverat

& emeticum cum largo effectu adhibuerat; pulſum parvum debilem inveni ideoqve roborantibus camphora, cortice uſus fui, octo ſic præteribant dies absqve mutatione morbi, verum vomituritio, vomitus qvandoqve ſpontaneus levatorius, ſapor amarus, lingva ſordida licet ſimul præſto fuerit ſingultus ad emeticum præbendum me moverunt, poſt cujus effectum omnia mox in melius vertebantur, adeoqve nec apparens debilitas, nec protractus morbus, nec ſingultus, forſan imprimis apud mulieres nervoſum ſymptoma habendus, ab emetici uſu deterrere debent, qvando reliqva ſymptomata ſaburram morbificam manifeſto deſignant. Septem moriebantur, tres ob metaſtaſin ad pectus, qvatuor ſub enormi ad encephalum congeſtione.

2. Febres intermittentes paucæ, inter qvas qvartanam qvatuor menſium & duas alias ſanabat pulvis febrifugus de Freſcarode.

3. Hydropicus juvenis 17 annos natus cum dysphœa & tuſſi humida uſu emulſionis ammoniacalis fere reſtitutus lectum deſeruit, itaqve frigoris vi ſe magis expoſuit, hinc morbus recrudeſcebat prima vice pejor, remedio antea proficuo non cedens, attamen ſub continuo, qvem ſerio imperavi, calore lecti & uſu aceti ſcillitici cum ſpiritu ſalis

dulci

dulci juncti prosperè & prorsus sanatus; qvod attuli exemplum, utpote manifestum argumentum pro calore continuo æqvabili hydropicis qvam maxime utili.

SECTIONES.

4. Dysenterico fluxu apud virum 36 annos natum post duos dies per remedia qvædam illi haud cognita subito suppresso oriebatur dolor hypochondrii utriusqve & cardiæ jam octo hebdomades durans cum tumore abdominis magis magisqve adaucto fluctuante, nec non dyspnœa, tussi sicca, siti, alvo segni, diuresi parca & facie icteri fere colorem habente; mox instituta paracentesi duodecim mensuræ aqvæ limpidæ educebantur; post viginti dies adhibitis licet multis diureticis absqve notabili effectu ad pristinam magnitudinem recrevit abdominis tumor, repetita ideo punctura serum sangvineum ad qvatuordecim mensuras effluxit; qvo facto mox surrexit dolor abdominis molestus, venæsectione licet crebra & camphoratis non tollendus, initio laxitatem deinceps obstipationem alvi secum ducens nec non vomituritionem, singultum, excretionem involuntariam, qvæ duodecimo die post ultimam paracentesin morte terminabantur. Aperto cada-

ve-

veris abdomine enormis copia ſeri ſangvinolenti effluxit; dein invenimus ſangvinem extravaſatum multum condenſatumqve & pure mixtum, omentum majus qvaſi maceratum & reſolutum, hepar minimum qvam maxime induratum, veſicam felleam e tunicis craſſis formatam contractam bile vacuam, lienem enormem, inteſtina imprimis colon in parte ad omentum vergente nigra & ſphacelo correpta, peritoneum itidem ubiqve nigreſcens. Qvinam fuit nexus inter vitia poſt mortem reperta & morbum prægreſſum? Nonne adſtringentibus ad dyſenteriam inhibendam adhibitis & hepate, ut docet alia experientia, maxime inimicis ejusdem producta eſt induratio & exſiccatio? Vix autem incertum eſt, hanc hepatis labem plurimos reliqvos præternaturales effectus intuliſſe, ſc. abſorptione per ramos venæ portæ abdominales impedita oriretur collectio hydropica; ſecretione per vaſa bilifera interrupta fellea materies in maſſa ſangvinis retenta cutem tingeret, & cyſtis e contra vacua maneret, & anguſtatis demum vaſis arterioſis hepatis ſangvis neceſſariò majori copia ad lienem flueret ejusdemqve volumen ſenſim ad enormem gradum augeret. Qvænam verò ratio fuit extravaſati ſangvinis, corruptionis omenti, inflammationis peritonei & inteſtinorum, unde accelerata ægroti mors meritò deducenda eſt?

Nonne

Nonne ultima punctura, qva vas aliqvod disruptum & reliqvæ partes laceratæ & irritatæ fuerunt, incusanda, sit?

5. Vomitus apud juvenem 22 annorum die circiter vigesimo qvarto post febrem biliosam & subseqventem nonnullam inflammationem pectoris surrexit, omnia ingesta breviori vel longiori tempore post assumtionem rejiciens, nullis remediis ut mixtura Riverii, mosco, magnesia alba, opio per os, abdomini extus, & per clysma applicito cedens, alvum segnem sitimqve insignem secum ducens, simul juncta erat largissima suppuratio brachii dextri post venæsectionem, sed ut chirurgi dicebant, ob metastasin exorta, ob qvam in misero hoc ægroto plures brachii incisiones ad educendam materiem institutæ fuerunt. Utroqve hoc morbo externo sc. & vomitu per mensem fere protractis vires non poterant non adeo decrescere, ut placida seqveretur mors. Aperto cadaveris abdomine haud aliud vitium detegimus qvam ventriculum qvam maxime contractum, nec in pectore aliqvid præter naturam nobis obvenit qvam coalitio pulmonis sinistri cum pleura. An ideo vomitus hic mere nervosus fuerit? Hoc vix negari potest, utpote nulla partium læsio visibilis, qvæ pro causa ejusdem æstimari poterat, post mortem inveniebatur,

adeo-

adeoqve hoc exemplo discimus, etiam vomitum hecticum nervosum possibilem esse.

6. Dolorem colicum gravem constantem cum plenaria obstipatione alvi & flatuum vir 27 annos natus triduo, cum ad nos venit, patiebatur, intereaqve unica venæsectione nec non pulvere radicis rhei, qvo dolor increverat, usus fuit, pulsum inveni celerem, durum; mox bis sangvis phlogisticæ indolis eductus, & camphorata exhibita fuerunt, insequenti die dolor abdominis minor regionem iliacam dextram occupabat, excrementa parum liqvida abierunt, nec non flatus, sub qvorum exitu atqve missione urinæ abdomen insigniter dolere qverebatur, ideoqve vena iterum secabatur; die qvinto alvus etiam sponte aperiebatur, attamen dolor abdominis gravior manifeste circumscriptus prope cristam ossis ilei dextri attactu increscens, phlebotomia ideo bis repetita fuit & pars dolens linimento volatili crebro inuncta; triduo insequenti ob pergentem illum dolorem alvo licet rite aperta adhuc qvater mittebatur sangvis, unde dolor fere prorsus cessabat & convalescere videbatur æger, verum elapsis postea qvatuordecim diebus e novo accusabatur dolor transitorius abdominis præsertim regionis ingvinalis & iliacæ dextræ qvandoqve cum adjuncta dysuria, & demum post qvinqve heb-

hebdomades a morbi prima invaſione provenit tumor durus, ad latitudinem circiter volæ manus, parum dolens in dicta regione iliaca, junctus cum aliqvali dolore regionis lumbaris; alvi & urinæ fluxus erat naturalis nec ulla febris; inunctio primò per linimentum volatile, dein per ungventum neapolitanum & intus pilulæ ſaponaceæ cum pulvere alterante paratæ menſis ſpatio fruſtra tentabantur; qvinimo tumor amplior reddebatur cum alvi fluxu impedito, præſertim ob niſum depreſſorium ægroto haud tolerabilem, nunc cataplasma emolliens tumori applicitum poſt menſem rem eò perduxit, ut abſceſſus modicus in tumore exſurgeret, qvi inciſus pus denſum flavum fœtidum effundebat; ex hoc tempore ſc. 1mo menſis Januarii ſtatus ægri ſenſim in pejus vertebatur, induratio abdominalis ad umbilicum ſeſe extendebat, plures ibidem abſceſſus formabantur, imo ex umbilico ipſo ſponte rupto pus effluxit, alvus ſemper moleſte tantum per artem aut clysma, aut purgans remedium ſolvebatur, urina itidem difficulter & parce fluebat mox clarior mox magis tincta cum vel absqve ſedimento mucoſo; initio menſis Aprilis tumor durus circa inteſtinum rectum & in perinæo apparebat; medio menſis Maji induratio abdominalis admodum decreverat, ulcera tamen abſceſſuum pus fundere pergebant, & intumeſcenti

ſcenti magis magisqve perinæo, cataplasma emolliens admotum fuit, jam ad ſummum faſtigium pervenerat hectica conſumtio, lingva fiebat aphtoſa, abſceſſus in perinæo ruptus largum pus edidit, & biduo abhinc elapſo miſerrimum morbum ad novem menſes protractum placida diuqve optata mors finivit. Ablatis integumentis abdominis communibus & muſculis, inter hæc & peritoneum ſc. in regione iliaca dextra & hypogaſtrica partim tenuem materiem ichoroſo-purulentam & alibi craſſiorem qvaſi ſteatomatoſam invenimus; hæc materia purulenta dextrorſum deſcenderat pone peritoneum inter veſicam urinariam & os pubis, atqve prope inteſtinum rectum, ubi cavum notabile aderat, unde pus mox ante mortem & nunc ſub motu cadaveris effluxit; ramus deſcendens oſſis pubis in interna ſuperficie aſper & carioſus erat; muſculus pſoas dexter extus durus qvaſi cartilagineus intus cavus pure denſo flavo plenus, muſculus iliacus dexter etiam durus pro parte cartilagineus, alter ſiniſtri lateris pſoas & muſculus iliacus internus non indurati verum multo plus puris qvod etiam ad largiſſimam copiam inter muſculos femoris diffuſum erat, continentes. Renes ſani, dexter tamen calculos parvos includens; excepto circumſcripto loco inteſtini ilei, qvod in regione iliaca dextra inflammatum & mediante materia ſteatoma-

toſa

toſa peritoneo agglutinatum erat; reliqva abdominis viſcera ſana reperiebantur. Hac hiſtoria addiſcimus, qvod mihi ſaltem haud antea innotuit, materiem ſteatomatoſam inter muſculos abdominales & peritoneum colligi & in tumorem durum formari poſſe; nonne origo hujus mali apud noſtrum fuerat inflammatio peritonei ſine dubio ab adjacente inteſtino communicata, indeqve generatio puris, qvod in celluloſa peritonei effuſum, ſenſimqve inſpiſſatum fuit; eventum talis morbi præſagiendum etiam præſens docet caſus, reſolutio qvidem tamen haud alio modo, qvam per diuturnum emollientium uſum poſſibilis eſt, verum reſolutæ & in pus converſæ materiæ non tantum ſperanda eſt ejectio per abſceſſus abdominales, ſed æqvo jure ejusdem timeri poteſt deſcenſus & collectio in cavitate pelvis cujus finis neceſſario fit letalis; nonne autem maturior cataplasmatis emollientis uſus tempore nimirum primo, qvo dolor in parte antea inflammata reſurrexit, meliorem habuiſſet effectum? forſan tunc ſimplex abſceſſus formatus & lugubris illa induratio præverſa fuiſſet, ſaltem mihi adeo probabilis videtur hæc hypotheſis, ut ſimilis, ſi recurrat, morbi medelam illi ſuperſtruere haud dubitem: Cuinam vero cauſæ tribuenda eſt notabilis ſuppuratio in muſculis pelvis? num primitiva & per ſe exiſtens læſio cenſen-

da eſt? aut ſerius exorta e pure in cellulosa peritonei generato & ad muſculos translato? ſi nexum ſtatuere liceat, e decurſu & ſucceſſione ſymptomatum probabile redditur, morbum peritonei prægreſſum fuiſſe & ſuppurationi muſculorum anſam dediſſe.

ANNUS 1786.

MENSIS JANUARIUS.

1. Febris bilioſo-putrida 38 perſonas, undecim modico, reliqvas graviori gradu afflixit; ſub increſcente ſtupore virtutem antea laudatam moſcus exſerere perrexit; plurimi absqve manifeſta criſi evadebant; metaſtaſis tantum in paucis, dum febris minuebatur, ad pectus directa tuſſim cum ſputo puriformi induxit, qvibus medebatur mihi in hoc caſu ſolitum decoctum chinæ cum ſenega ſc. R. corticis peruviani drachmas ſex, radicis ſenegæ drachmas duas, coqve cum aqvæ ſimplicis unciis duodecim ad octo, colaturæ refrigeratæ adde ſyrupi althææ unciam, dentur cochlearia duo bihorio; Apud qvendam febri ſuccedebat ſcorbuti maximus gradus cum adjuncta diarrhœa, qvalem complicationem juvabat decoctum chinæ acidum omni hora alternatim cum pulvere gummi arabici porrectum; duo moriebantur, alter

juvenis 19 annorum; cui ob dolorem pectoris & interſcabularem vena bis ſecta erat; ſtupor & debilitas dein accelerato gradu ad funeſtum effectum decimo morbi die completum pervenerunt; altera itidem debilitatis ergo interire videbatur.

2. Arthritide laborantium qvædam dolori vago artuum mox ſuperiorum mox inferiorum annexum habuit tumorem maculis rubris notatum; ob analogiam antiſcorbutica ſc. elixirium antarthriticum cum aceto ſcillitico, atqve infuſum trifolii fibrini præbui cum optato effectu; in altero memorabilis mihi videbatur tumor rheumaticus & qvatenus indolens & qvatenus ſingu lari modo vagans, primo e refrigerio exortus faciem occupaverat, hac ſede poſt aliqvot dies relicta crura petiit, hæc dein ſponte deſerens pectori induxit dyſpnæam moleſtam cum ſicca tuſſi; veſicatoria in ſuris applicita cito ad crura tumorem dein ſponte evanidum revocabant, ſub qvo pectus reſtitutum fuit. Altera ruſtica 17 annorum integro anno poſt febrem intermittentem laborabat dolore & rigiditate in maleolis utriusqve cruris, adeo ut ſumma cum difficultate ambulare potuerit; balneum vaporis, dein ſtillatitium, perfumatio e vapore aromatico, involutio in canabi picea nil boni præſtiterunt;

demum

demum veſicatoria cruribus affectis cum ſuppuratione diutius protracta applicabantur, ſub qva pedes meliores fiebant; dein inſurgens continua febris prorſus completam poſt ſe reſtitutionem reliqvit; vix tamen probabile eſt, hanc febrem fuiſſe cauſam ſanationis ſed potius illius effectum ſc. e materia morbifica per calefacientem veſicatorii vim reſoluta & in ſangvinis maſſam reſorpta productum.

3. Cephalalgiæ octo menſium ſpatio freqventer reverſæ, demum fixæ in regione temporali dextra cum vertigine paralyſis extremitatum lateris ſiniſtri ſimul jungebatur jam qvatuor ſeptimanis durans apud virum 25 annorum; venæſectione ſimplici, hirudinum ſangvi ſugio temporali, veſicatorio nuchæ, & eccoproticis intra ſpatium trium hebdomadum affectio capitis tollebatur; paralytica autem affectio demum poſt tres menſes per cucurbitas ſiccas, frictiones inunctionem eſſentiæ cantharidum camphoratæ ſub prægreſſo dolore partium affectarum qvandoqve ſat gravi adeo ſublata & in naturale robur converſa fuit, ut noſter ad opus ſolitum ſc. textoris idoneus noſocomium reliqverit. Docet hoc exemplum, reſtitutionem e paralyſi integram eſſe poſſibilem imprimis in junioribus ſubjectis, nec ideo deſperandam, qvamvis lentiori gradu procedere videatur, & qvod

dolor in membris affectis intercurrens boni ſit ominis.

4. Vomitus puellam 35 annorum tempore ſex hebdomadum afflixerat, vires conſumſerat, corpusqvé emaciaverat ita ſc. comparatus, ut omnia ingeſta mox ingratam ſenſationem & nauſeam ventriculo induxerint, donec qvadrante horæ poſt aſſumtionem elapſo per vomitum rejicerentur, menſtrua erant regularia, nec ullus dolor abdominis præſto erat aut adfuerat; inſtituta venæſectio, porrecta mixtura riverii, dein anima rhabarbari, ſed imprimis ob aciditatem rejectæ materiæ exhibita magneſia alba ad largas doſes levamen ſed tranſitorium & incompletum produxerunt, hinc & qvia ſimul dolor preſſorius cardiæ ad dorſum tranſiens annectebatur, in uſum traxi ungventum neapolitanum regioni epigaſtricæ illinendum, largiſſima indè ſalivatio diu durans ſurgebat, per qvam a vomitu liberata & prorſus reſtituta fuit ægrota.

SECTIONES:

5. Dolori artuum inferiorum cum atrophia eorundem & impotentia motus apud virum 50 annos natum ſeptem menſibus duranti

ranti demum per duodecim dies juncta erat moleſta abdominis expanſio cum alvo prorſus obſtipata & vomitu omnium ingeſtorum, pulſum inveni valde celerem & debilem; adhuc qvatuordecim diebus in noſocomio vixit iisdem afflictus ſymptomatibus, nec non verſus vitæ finem ſingultu, excretione involuntaria urinæ & alvi, atqve vomitu materiæ nigreſcentis. Aperto cadaveris abdomine omentum majus invenimus degeneratum in maſſam peregrinam notabilis magnitudinis compoſitam e tuberculis innumeris duris, albis uvas referentibus, nonnulla ſimilia aderant in ſubſtantia ventriculi prope cardiam; pylorus calloſus, anguſtatus difficulter pervius, glandulæ meſenterii induratæ, hepar durum absqve tuberculis, præterea largiſſimum ſerum ſangvinolentum in cavitate abdominis continebatur; nexus inter affectum extremitatum & abdominis vix perſpicitur, niſi pro utriusqve cauſa ſtatuatur materia arthritica tandem adeo abundans intusqve depoſita, ut viſcerum ventris notabilis labes inde produci poſſet, extravaſatum ſangvinolentum e vaſis ob infarctum adeo extenſum, nimium dilatatis vel diſruptis oriri vix non neceſſe erat.

6. Colica inflammatoria apud virum 24 annorum per venæſectionem ſepties repe-

titam & adhibita camphorata die qvinto ita in melius vertebatur, ut dolor omnis prorſus ceſſaverit, flatusqve & alvi excretio ſponte riteqve provenerint; ſed dolor exſurgebat in loco venæ ultima vice ſc. die qvarto morbi ſectæ, die ſeptimo frigus tranſitorium aderat, dolor, tumor & rubor & locum venæſectæ & reliqvum brachium occupabant, inſeqventibus diebus magis magisqve aggravati cum intercurrente frigore & pulſu inflammatorio, venæſectione licet iterum repetita tamen in ſuppurationem brachiii notabilem converſi, adeo ut in pluribus locis ad pus educendum inciſiones chirurgus inſtitueret; die duodecimo dolor in regione lumbari dextra accuſabatur dein altius aſcendens, veſicatorium ibidem applicitum fuit absqve levamine, pectoris oppreſſio gravis accedebat & die decima qvinta poſt primam morbi invaſionem ipſa mors. Aperto cadaveris abdomine nil ibidem aliud præter naturam occurrebat qvam nonnulla rubedo in ſparſis inteſtinorum locis obſervata, forſan veſtigium prægreſſæ inflammationis, canalis autem ipſe integer & debiti voluminis erat; in pectoris cavitate dextra prope dorſum & infimo loco inveniebatur notabilis copia fluidi tenuis purulenti ad dimidiam circiter menſuram, pulmo ipſe qvoad ſuperficiem huc ſpectantem pure obductus, verum qvoad ſubſtantiam ipſam ſa-

nus

nus ſed contractus, reliqva pectoris conditio etiam naturalis; inqviſito brachio tumido, ubi vena ſecta erat, ſub ablatione cutis mox effluxit pus flavum, denſum, copioſum, qvod infra aponeuroſin bicipitis continebatur, ipſa vena ſecta ad longitudinem aliqvot pollicum explorata nil præternaturale, qvatenus oculis detegi poterat, monſtrabat. Mortis cauſam proximam fuiſſe pus largiter in pectore effuſum dubitari neqvit, qvænam vero origo fuit hujus extravaſati? idiopathicam non admittit viſcerum adjacentium illæſus ſtatus, & brevis ante mortem pectoris afflictio dolorifica ad generandam ſuppurationem prorſus haud ſufficiens; neceſſario proinde pus illud formatum fuit in alia parte corporis, unde mediante abſorbtione, qvam frigora crebra etiam indicabant, ad pectus traductum eſt, cuinam vero parti hæc culpa probabilius tribui poteſt, qvam brachio ſuppurationem adeo extenſam continenti? An huic infortunata venæſectio ortum præbuit? ſaltem vulgus talem facit concluſionem, nec ullam perſpicio cauſam, qvare juſtus & competens judex aliud crederet.

FEBRUARIUS.

1. Febris bilioſo-putrida 50 perſonas ſc. 29 leviori, reliqvas graviori gradu afflixit; in univerſum benigna illius indoles erat, terminus gravius afflictorum communiſſimus obſervabatur dies 17mus, raro ad vigeſimum primum vel octavum extenſus; qvidam die nono adveniens pulſum valde debilem & deglutitionem impeditam habuit, hac per hirudines circa laryngem juvata emeticum cum effectu porrigebatur & dein per roborantia ſolita evaſit æger; apud alterum abſceſſus metaſtaticus genæ ſiniſtræ morbum ſolvebat, qvidam valde ſtupidus diuturno & profundo ſomno obrutus cum facie & oculis maxime rubeſcentibus demum poſt ſex hebdomades judicatus fuit per plures abſceſſus nigreſcentes in capillata capitis parte formatos, in alio criſeos locum ſubiit ſcabies, qvæ antea haud præſto fuerat; qvædam ab initio conſtantem dolorem hypochondrii ſiniſtri patiebatur, ſed qvia reliqva ſymptomata manifeſto bilioſa erant & pulſus vix celer, non inflammatorium ſed bilioſum judicavi & qvatalem tractavi morbum; nilominus perſiſtebat ille dolor, qvi veſica-

veſicatorio ideo applicito tranſibat in moleſtum capitis dolorem, hic admoto alio veſicatorio in nucha ceſſabat ſub aggreſſo dolore crurum; qvænam vagatio me convictum reddidit de rheumatica indole hujus doloris febri bilioſæ accidentaliter annexi; apud alterum ſimilis dolor pectus moleſtabat nec antibilioſis remediis nec admoto veſicatorio juvatus, dein ſponte ad brachium converſus, indeqve per veſicatorium fugatus. Tres moriebantur, qvidam 21mo die ob ſputum impeditum, alter ſub enormi ad caput congeſtione, & tertius ob meram ut videbatur, debilitatem,

2. Hæmoptyſi gravi duo alumni militares laborabant, alter 15 annos natus hoc morbo correptus mox poſtqvam pectus graviter a ſocio tuſum erat; & paucis abhinc elapſis diebus ipſe pulſator ad noſocomium ductus fuit eodem malo, qvod alii induxerat, ſed gravioris momenti & ſponte aggreſſo afflictus vel punitus; uterqve vnæſectione aliqvoties repetita, regimine frigido, ſumma qviete corporis & animi atqve electuario ℞ pulveris nitri depurati, conſervæ roſarum ana unciam boli armenæ drachmas duas, ſyrupi althææ qv. ſ. ad cochleare minus bihorio, initio & dein rarius exhibito prorſus abſqve inſeqventi phthiſi reſtitutus fuit,

3. Poſt

3. Poſt exulcerationem capitis ſponte evanidam puella undecim annorum jam qvatuordecim diebus ægrotabat motu convulſivo freqventer recurrente, omnes artus pervagante, involuntario agitante & contrahente, ſub maſticatione & deglutitione maxillas & muſculos faciei moleſtante cum impedimento illarum functionum, loqvela interea impedita fuerat cum ſtupore inſigni & vertigine tanta, ut corpus in ſitu erecto ſuſtentare neqviverit; aſcarides evacuatas eſſe nobis referebatur; primis qvatuordecim diebus, emeticum, vermifuga, valeriana, moſcus, clyſma freqvens ex aſſa fetida absqve mutatione morbi porrigebantur; illis ideo ſubſtitui oleum animale Dippelii ad guttas ſex bis per diem, poſt decem dies notabile convulſionum decrementum obſervabatur, & pruritus corporis ſed absqve vera efflorescentia accuſabatur; hinc ſimul cum allato oleo præſcripſi florum ſulphuris, oculorum cancrorum ppt ana unciam mediam, moſci orientalis grana tria ad cochleare minus mane & veſpera ſumendum, ſub qvali medicina pruritus ille continuabat cum mitigatione ſenſim majori convulſionum; tertia ſic exacta hebdomade efflorescentia capitis reparebat cum effectu adeo prospero, ut poſt decimam a redeunte efflorescentia diem omnis prorſus convulſio ceſſaverit, puſtuloſa verò capitis affectio dein ſat brevi tem-

tempore ſub uſu infuſi mundificantis raſuræ ligni ſaſſafras, radicis ſaſſaparillæ ana drachmis ſex, foliorum ſennæ ſ. ſ. drachmis tribus ſeminis feniculi drachma compoſiti absqve recidiva convulſivi morbi ſanabatur. Qvamvis experientia conſtat, tam vermes, qvam exanthema retrogreſſum convulſiones inducere valere, in allato tamen caſu rationi magis conveniſſet, & curationi citiori anſam dediſſet, ultimæ cauſæ qvatenus immediate prægreſſæ morbum adſcribere, illiqve mox accomodare medelam. Connubium, qvod alia occaſione contra affectiones nervoſas commendavi, ſc. medicaminum effectui morboſo convenientium cum aliis cauſam morbificam debellantibus etiam hoc exemplo comprobatur; actionem enim imperfecte ſalutarem olei antiſpaſmodici complebat ſimul in auxilium vocatum ſulphur quo hoſtis ipſe foras ejiciebatur, qvali eventu etiam addiſcimus, ſulphurea non modò ſcabioſam ſed qvoqve aliam acrimoniam ad cutim expellendi & revocandi vim habere.

SECTIONES.

4. Tumore œdematoſo trium hebdomadum apud ſexagenarium ſub uſu diureticorum evaneſcente oriebatur febrile frigus tri-

triduo continuo ad irregulare tempus rediens, ſub ultima reverſione aggrediebatur inſignis cephalalgia, qvæ inſeqventi die convertebatur in lethargum, qvinto die paroxyſmus apoplecticus aderat, poſt eaqve lethargicus ſtatus continuabat, die ſexto ab aggreſſo frigore per mortem finitus; veſicatoria initio in ſuris, dein in nucha, clyſmata acria, venæſectio, hirudines temporales prorſus nullius efficaciæ erant. Aperto cadaveris cranio invenimus liqvidum ſeroſum in gyris cerebri contentum, hujus autem maximam copiam in ventriculis tam lateralibus, ubi plexus choroidei plures hydatides habebant, qvam reliqvis & baſi cranii; cerebellum ſolito rubicundius, obductum ut videbatur, pure denſo, qvod autem curatius exploratum obſervabam eſſe veram ſuppurationem & piæ matris & ipſius cerebelli ſubſtantiæ ad duas tresve lineas penetrantem. Sat probabile eſt, ſerum ſtagnans e cruribus abſorptum ad encephalum fuiſſe depoſitum, ibidemqve præter effuſionem etiam ob vim ſingularis acrimoniæ cerebelli inflammationem & ſuppurationem effeciſſe.

5. Poſt lapſum notabilem, qvo tamen nulla externa læſio inducta erat, brevi præterito tempore vir 35 annorum corripiebatur cephalalgia moleſtiſſima, ſuſurru auris & ſtupore brachii lateris dextri, dein juncta erat lum-

lumbago cum mitigatione cephalalgiæ; ſic qvatuordecim diebus afflictus ad nos venit, pulſum inveni fortem haud celerem; ſangvine per vènam aliqvoties educto, non phlogiſtico cephalgia diſparebat, verum lumbago continuabat cum dolore vago artuum, contra qvæ antarthritica & veſicatoria cum levamine temporario adhibita fuerunt, menſe ſic elapſo dolorem capitis iterum accuſabat, initiò vagum dein fixum continuum; variis remediis evacuantibus & derivantibus fere fruſtra adhibitis ſenſim acerbior reddebatur ille dolor alternans cum lumbagine & artuum dolore, utroqve graviſſimi & inſoliti gradus, demum altero morbi menſe elapſo poſt qverelam intolerabilis lumbaginis oriebatur paroxysmus epilepticus ad qvatuor horas durans, per largiſſimam ſangvinis miſſionem finitus, vel potius mutatus in ſomnum non interrumpendum & intra paucas horas mortalem. Cranio diſſecto vaſa piæ matris ſangvine valde plena reperiebantur; in ventriculis omnibus præſertim lateralibus enormis copia ſangvinis extravaſati tam fluidi qvam condenſati aderat; cerebellum ſimili ſangvine tinctum & obductum erat; in baſi cranii idem abundabat ſangvis extravaſatus, nec non in theca vertebrarum medullam oblongatam circumdans, num nexum inter lapſum, qvem æger paſſus fuerat, atqve inſeqventem illius

mor-

morbum, mortemqve ſtatuere licet? ſuſpicionem hujus mihi præbent dolorum enormis vehementia, pertinacia contra optimam & alias juvantem medicinam, & demum effectus ſive eventus per epilepſiam, & ſangvinis effuſionem in cerebro letalis; hæc enim omnia arthritidis ſimplicis & qvatalis prædicata eſſe vix obſervatum eſt, qvapropter aliam adjunctam ſive latentem cauſam arguunt, nonne læſionem qvandam rupturæ ſimilem in encephalo, medulla oblongata, vel vaſis huc pertinentibus, unde primum tenſiones doloriſicæ ſyſtematis nervoſi arthritidem referentes & demum vera diſruptio vaſis notabilis ſangviferi productæ ſunt.

MARTIUS.

1. Febre bilioſo-putrida 46 perſonæ laborabant, viginti qvatuor modico, reliqvæ graviori gradu, qvidam graviſſime præſertim ob enormem ad caput congeſtionem 17mo die parotidis dextræ tumore laborare cepit, qvinam tumor demum poſt qvindecim dies maturatus & inciſus fuit; in univerſum plenitudo ſangvinis caput moleſtabat; non pauci poſt

devic-

devictam febrem adhuc valde vertiginosi vesicatorio in nucha opus habebant & eodem juvabantur. Septem moriebantur tres ob debilitatem, unus ob metastasin ad pectus, reliqvi ob congestionem enormem ad caput, inter qvos ultimos cujusdam 28 annos nati historia ob symptomata minus solita notabilis & ad prudentiam e noxa docendum apta videtur: octiduo, cum ad nos venit, ægrotaverat initio cum frigore, alias cephalalgia dein in vertiginem conversa, sapore amaro, anorexia, siti insigni nonnulla debilitate nec non serius adjuncto dolore notabili totius spinæ dorsi, venæsectio initio instituta, dein porrecta emeticum, laxans & tandem camphorata nullam morbi mutationem produxerant, præter allata in præsenti ægroto inveni pulsum celerem, lingvam sordidam, tussim molestam, maculas nonnullas rubras in manibus dispersas, alvumqve naturaliter apertam, emulsionem camphoratam præbui, nono die urina strangurioſa sangvinem paucum continebat, decimo die totum pectus sub tussi graviter dolere cum cephalalgia enormi qverebatur, singultus intercurrebat, hirudines temporibus, sinapismi suris applicita & kermis mineralis granum alternatim cum emulsione porrectum fuerunt, die 11mo sputum ejiciebatur mucosum, alvus parum laxa, urina leviter sangvinea, dolor dorsi minor, ob

ſingultum continuantem moſcus emulſioni apponebatur, die 12mo urina aurantia cum ſedimento fuſco, d. 13tio ſomnus prægreſſi morbi tempore deficiens per duas horas adfuerat, ſingultus idem nec non tuſſis cum ſputo jam parum ſangvineo, urina citrina parca, tremor artuum pulſus celer mollis, delirium nonnullum cum rubedine notabili faciei & oculorum, alvus haud aperta, & levis obauditio, temporibus hirudines e novo applicabantur nec non veſicatoria ſuris & mixtura camphorata cum moſco alternatim cum decocto chinæ non acido dabatur, inſeqventi nocte acceſſit paroxysmus apoplecticus, qvi licet educto largo per venam ſangvine grumo molli & cruſta mucoſa prædito in mortem finiebatur. Nonne affectiones moleſtæ dorſi & pectoris in hoc ægroto, qvæ inflammationis metum mihi fecerunt, potius tanqvam effectus rarefacti admodum & diſſoluti ſangvinis habendi eſſent? hanc declarationem admittunt imo probabilem reddunt reliqva annexa bilioſa ſymptomata, imprimis urinæ indoles ſangvinea inflammatoriæ, qvantum novi, nunqvam, putridæ febris vero poſſibilis effectus; forſan æger noſter ſalvatus fuiſſet, ſi hoc ratiocinio ductus mox validiſſimis remediis antiputridis morbum aggreſſus fuiſſem.

2. Dy-

2. Dyſenteria tres laborabant per ipecacuannam & rheum facile ſanati, qvæ obſervatio etiam ſporadicam hujus morbi exiſtentiam ſed tunc mitiorem indolem demonſtrare videtur.

3. Pleuritica febre undecim laborabant, qvorum duo e potu frigido largiter hauſto hunc morbum exortum fuiſſe manifeſto animadverterant, unicus moriebatur vir 65 annorum cum ad nos venit, jam novem diebus ægrotans cum ſtrepitu pectoris, qvi ſub larga licet expectoratione adhuc per undecim dies durabat & primo morbi die per mortem finiebatur; cujusdam complicatus morbus curationem, ut ita dicam, mixtam reqvirebat, hic 38 annos natus jam ſextiduo ægrotabat cephalalgia, ſiti, æſtu, anorexia, tuſſi, dolore ſat gravi medii pectoris, pulſu celeri tenſo venæſectio monſtrabat ſangvinem mollem cum cruſta mucoſa, inſeqventi die lingva ſordida cum ſapore malo & pulſu jam molli, exhibitum ideo fuit emeticum cum levamine omnium ſymptomatum, die nono notabiliter ingraveſcebat pectoris dolor cum ſputo parum ſangvineo & pulſo iterum tenſo, e novo ducebatur ſangvis & veſicatorium pectori applicabatur, ſic affectio pectoris mox ceſſabat, ſed ſupererat bilioſis ſolita vertigo & debilitas per antiputrida remedia ſublata. In complicato pleuriticæ

& biliosæ febris casu vix securior datur curationis regula qvam prævalentibus symptomatibus accommodare medelam, urgentibus sc. vel redeuntibus inflammatoriis antiphlogistica adhibere, & si biliosa graviora judicentur, illis qvadrantia auxilia eligere; justa gradus mensuratio, cujus tantum attentus & expertus medicus & qvandoqve vix ille capax est, ad prosperum eventum reqviritur.

4. Intermittente febre 17 ægrotabant aut qvotidiana, aut tertiana, decem salinis & emetico juvabantur, reliqvi cortice opus habebant; e tribus simul cum febre tussim purulentam & tabem patientibus duo moriebantur, tertia per decoctum chinæ cum senega atqve jusculum secalinum & a febre & phthisi sanabatur.

5. Scorbutus in paucis sese exserere cepit; puella 7 annorum simul cum hoc morbo laborabat contractura & curvatura utriusqve genu extensioni prorsus obstante, hæc succo recenti taraxaci & pomo citri qvotidie sumto juvabatur, alter 17 annorum præter scorbuti solita symptomata insignem patiebatur dyspnoeam cum dolore gravi maleolorum & diarrhoea, ob hanc gummi arabici cochleare minus omni hora dabatur alternatim cum decocto chinæ acido, octiduo sic sedabatur diarrhoea

qvo

qvo facto ſuccus citri ſimul cum laudato decocto in uſum tractus reliqvum ſcorbuticum ſtatum exſtirpabat.

6. Vertigine initio caduca, dein mitiori cum ſingulari imaginatione capitis proprii tanqvam duplicis vir 37 annorum tribus ſeptimanis afflictus erat cum debilitate cruris dextri nec non ſtupore ſive ſenſu fere abolito in exteriore parte brachii dextri atqve plenaria paralyſi duorum digitorum minimorum ejusdem manus, reliqvis tamen digitis integris; facies ægroti leucophlegmatica erat; præmiſſa venæſectione veſicatorium in nucha applicatum fuit, intusqve propinavi liqvoris nervini guttas viginti ter indies, atqve pulverem e radice rhei cum dupla portione cremoris tartari ad cochleare minus mane & veſpera, qvibus æger aliqvot ſeptimanis prorſus reſtitutus erat, ſingularem limitatam paralyſin e vitio encephali ſurgentem hic caſus ſiſtit.

7. Tumor durus apud feminam 39 annorum ante novem menſes ſurrexerat in regione iliaca dextra dolens ſenſim per duos menſes ad pugni magnitudinem adauctus, qvi poſtea iterum ſenſim decreverat, adeo ut jam modo ad nuclei minoris molem ſentiri potuerit, verum ſub hoc decremento tumor abdomi-

minis acceſſerat æqvabilis, elaſticus, indolens, non fluctuans imprimis regionem infra umbilicalem occupans; alvus integro morbi tempore laxa fuerat, & ſi forſan non fluxiſſet, abdomen dolebat, pulvere radicis gei urbani & inunctione abdominis per linimentum volatile menſis ſpatio ſanabatur ægrota; nexum factorum in hoc caſu explicare neqveo.

8. Colicus dolor apud virum 24 annorum ſpatio qvatuordecim dierum ſeqventi modo ſeſe exſeruerat: ter per diem recurrerat in medio abdomine incipiens, pectus dein ſimul occupans cum adjuncta dyſpnoea, intra qvadrantem horæ finitus tranſeundo in frigus univerſale cum inſeqventi æſtu, continua interea adfuerat cephalalgia vertiginoſa cum nonnulla debilitate & ſtupore artuum, alvus erat ſegnis, appetitus modicus, lingva & ſapor bona, pulſus tenſus non celer; arthritis ante dimidium annum ægrotam vexaverat, hujus ideo reliqvias nonnullas pro cauſa præſentis morbi ſuſpicans præſcripſi liqvoris nervini guttas viginti bihorio & clyſma pro neceſſitate ad aperiendam alvum, poſt paucos dies abdominis affectio ceſſabat, ſed caput gravius dolebat cum adjuncta odontalgia, applicata ideo veſicatoria in brachiis caput levabant, ſed genuum moleſtus dolor ſurrexit, hunc cito tollebant veſicatoria in ſuris, verum tunc

rediit

rediit cephalalgia, qvæ per veſicatorium in nucha absqve inſeqventi alio malo tollebatur. Talis adeoqve periodica colica inter effectus arthritidis anomalæ numerari poteſt, etiamſi artuum dolor illam haud adeo brevi tempore præceſſerit.

SECTIONES.

9. Diarrhoea plurium menſium cum expanſo abdomine, ejusdemqve intercurrente dolore punctorio, & appetitu ingenti emaciatæ & demum necatæ puellæ abdomine diſſecto invenimus omnes glandulas meſenterii & meſocoli induratas magnas ad volumen nucis avellaneæ vel ovi columbini, nec non pancreas eodem modo degeneratum.

10. Dolor preſſorius gravis conſtans regionis hepatis apud puellam 26 annorum octiduo, cum ad nos venit, jam aderat, cum vomitu omnium ingeſtorum & febre continua, alvus qvodammodo fuerat aperta, pulſum inveni dibiliſſimum & ægrotam maxime anxiam & inqvietam, veſicatorium qvidem regioni dolenti applicitum fuit, inſeqventi autem die ægra moriebatur. Aperto cadaveris abdomine hepar enormis molis conſpiciebatur colorem atro-rubeſcentem habens, ſerum nonnullum aurantium in abdomine effu-

ſum, inteſtina ſana prope veſicam felleam bile ſolito magis tincta; in pectore pulmo uterqve imprimis dexter cum pleura coalitus, cor ipſum immenſi voluminis præſertim ventriculus ſiniſter dextro duplo majus volumen habens, in primo ſangvis coagulatus, in altero polypoſus valde tenax, ſubſtantia ipſa cordis valde extenuata. Licet ſat notabilis hepatis inflammatio in hac defuncta reperiebatur, vix tamen illi inſecuta mors adſcribi poteſt, utpote gangræna & ſuppuratio, mediantibus qvibus inflammatio funeſta redditur, non aderant, nonne potius cordi enormiter adeo expanſo, relaxato & demum ad circulum debitum promovendum impotenti culpa mortis tribuenda eſt?

11. Poſt ſcabiem ungventis retropulſam vir 57 annorum tribus ſeptimanis ægrotabat tuſſi & dyſpnoea, nec mens adeo ſana videbatur; altero poſt adventum die incidit in paroxyſmum epilepticum, poſt qvem deliratio continua aderat nullis remediis juvanda & qvarto die letalis; aperto cadaveris cranio reperiebatur ſerum extravaſatum inter piam & duram matrem in gyris cerebri, in baſi cranii ad magnam copiam, nec non in ventriculis, ubi plexus choroideus utriusqve lateris hydatides magnitudinem piſi ſuperantes habebant. Colluviem hanc cerebri ſeroſam haud improbabile

babile eſt ex impuritate cutanea introrſum verſa derivare.

APRILIS.

1. Febre bilioſo-putrida 66 perſonæ ægrotabant ſc. 21 levius, reliqvi graviori gradu afflicti, permulti metaſtaſin ad pectus ſub progreſſu morbi patiebantur cum expectoratione vel mucoſa, vel puriformi minus vel magis difficili; ſub modica tali affectione pectoris decoctum chinæ cum ſenega alternatim cum mixtura camphorata, aut ſi ſtupor notabilis adeſſet, moſcata juvabat, gravior interdum caſus urgebat cum pectoris periculoſiore oppreſſione & ſputo difficili, tunc ſimul granum kermis mineralis alternatim cum laudato decocto & veſicatorium pectori applicitum proſpero cum eventu in uſum vocabam; qvædam die 23tio morbi ad aſpectum decreſcentis ſub debilitate adhuc notabili ſubito correpta fuit dolore graviſſimo punctorio pectoris cum tuſſi, ſputo valde ſangvineo, pulſu duro celeri; triduo poſthac primo vena ſexies ſecabatur, ſic minuto dolore veſicatorium pectori applicitum fuit, intus emulſio camphorata

exhibebatur, initio ſolum, dein ſputo minus ſangvineo reddito alternatim cum decocto chinæ cum ſenega; 17 dies præteribant, anteqvam ſangvinis ſputum ceſſaverit, tamen reſtitutio fuit integra; qvo exemplo confirmatur antea exhibita praxeos regula: metaſtaſin inflammatoriam febri putridæ ſupervenientem ſaltem in partibus internis & qvamvis debilitatis gradus terrificus videatur, tamen inſtar protopathicæ inflammationis tractandam eſſe; in multis maculæ petechiales apparebant; apud qvandam maculæ manifeſto urticatæ putridam febrem comitabantur; apud aliam brachium dextrum fere paralyticum reddebatur poſt morbum, veſicatorio autem applicito cito juvatum. Septem moriebantur, qvædam ob veram apoplexiam, alius ob ſphacelum lumborum, reliqvi aut ob meram debilitatem, aut expectorationem impeditam.

2. Febres intermittentes non raræ tertianæ vel qvotidianæ fere omnes cortice opus habentes; qvidam ſub paroxysmo ſimul moleſto dolore pectoris laborabat, cortex utrumqve malum ſuſtulit; alterius febri adjunctum erat notabile oedema crurum, cortex ſolus poſt digeſtiva exhibitus nil effecit, ſimul vero in uſum tractus ſuccus recens herbarum & febrem & tumorem fugabat; apud alium febri per digeſtiva & emeticum abactæ mox ſuc-

ceſſit

ceſſit dolor pectoris ſiniſtri conſtans cum tuſſi & pulſu tenſo, præter camphorata venæſectio ſepties repetita reqvirebatur, doloris tunc evaneſcentis locum occupabat febris recidivans cortice ſublata. Alterius febre per corticem ſanata oriebatur icterus cum oppreſſione moleſta regionis hepatis, tuſſi ſicca moleſta, cephalalgia irregulari, alvo ſegni, ſalinis cum rheo bene laxata alvo ſenſim ceſſabant illa ſymptomata absqve reverſione febris. Pleuritide apud alterum poſt octo dies ſublata ſurgebant convulſivi motus alternis noctibus qvadrupla vice redeuntes, adhibito ob ſaporem malum emetico & dein pulvere leniter laxante, loco convulſionum regulares paroxysmi qvotidiani provenerunt cortice peruviano ſanati; etiam hiſce exemplis larvatam intermittentium indolem addiſcimus.

3. Scorbutus notabiliter increbuit. Symptomata illius communia erant, debilitas, averſatio motus, rigiditas genuum, gingyvæ cruentæ, maculæ lividæ crurum; ſubjecta erant variæ ætatis, verum omnia virilis ſexus; tempus ſanationis raro menſis ſpatium excedebat; auxilia in univerſum juvantia erant elixirium antarthriticum aut ſolum, aut ſi tumor crurum junctus fuerit, cum dimidia parte aceti ſcillitici ad guttas ſexaginta ter indies, infuſum trifolii fibrini, ſuccus recens

tara-

taraxaci & pomum citri qvotidie comeſtum, nec non motus corporis imprimis in a ere libero qvantum vires licet coactæ permittebant. Apud qvendam febre qvotidiana cum diarrhoea per animam rhei ſublata ſurgebat ſcorbutus cum mox adjuncta putrida febre gravisſimi gradus; hac per apta remedia devicta tamen ſcorbutica remanebant ſymptomata per ſuccum recentem taraxaci & decoctum chinæ acidum tollebantur. Modo & gradu mentione dignis apud ſeqventes ſe monſtrabat ſcorbuticus morbus. Apud virum 63 annorum ſpatio qvatuor menſium jam duraverat; inveni hunc qvam maxime emaciatum & debilem cum gingyvis ſumme laxis, dentibus vacillantibus, maculis latis lividis crurum, & rigiditate tanta, ut neqvidem pedibus inſiſtere valuerit; duo menſes præteribant, anteqvam ſupra laudatis remediis fuerit ſanatus. Alter 19 annos natus ſpatio qvatuor menſium ad illum morbi gradum pervenerat, ut omnes juncturæ extremitatum inferiorum prorſus eſſent rigidæ & immobiles cum lumbagine, tumore maculato crurum, gingyvis valde cruentis, pulſu celeri debili, & debilitate tanta, ut neqvidem in lecto corpus movere potuerit, præterea e maculis poſt ſcabiem relictis etiam liveſcentibus ſangvis ſæpe ſat larga copia effluxit. Alvus vero & appetitus erant naturales; præſcripſi decocti chinæ ſimplicis

uncias

uncias ſex cum ſpiritus vitrioli drachma ad cochlearia duo majora bihorio cum ſucco recenti taraxaci; infuſo trifolii & pomo citri per diem; primis diebus ſangvinem per dictas maculas fluere adhuc obſervatum fuit; poſt qvatuordecem dies & ille fluxus ceſſavit & ſymptomata adeo minuebantur, ut grallis innixus ambulare ceperit; nunc loco decocti elixirum antarthriticum cum aceto ſcillitico non omisſis reliqvis in uſum trahebatur; & præterlapſo menſe poſt introitum ſanatio completa fuit; vix clarius hoc exemplo datur argumentum ad diſſolutionem ſangvinis ſcorbuticam demonſtrandam, ni alius accidentaliter adjunctus morbus, cujus ſigna tamen haud præſto erant, ſtatuendus eſſet. Apud duos admodum notabili modo ſalutarem ſe præſtitit ſcorbutus contra conſtitutionem pectoris phthiſicam: alter horum 58 annorum jam decem hebdomadibus ægrota fuerat cum tuſſi humida, dyſpnoea, debilitate emaciatione magis magisqve adauctis & demum adjuncto tumore crurum, varia hactenus a medicis contra phthiſin adhibuerat remedia, cum ad noſocomium venit, examinando crura, eorundem vidi maculas latas flavo-liveſcentes cum induratione; ſcorbuti ſuſpicionem hinc ortam confirmabat gingyvarum explorata & detecta indoles ſpongioſa cruenta, alvus cum hisce erat ſegnis; decocto amaro laxante ad patel-

lam

lam minorem mane & veſpera, ſucco recenti taraxaci & pomis citrinis atqve mixtura ex aceti ſcillitici ſpiritus ſalis dulcis ana guttis 60 ter die per qvatuordecim dies adhibitis ſymptomata ſcorbuti valde decreſcebant, verum tuſſis fere æqve moleſta continuabat cum ſputo mucoſo denſo, qvapropter ſeqventi ordine medicamina propinabam; omni mane jejuno ventriculo juſculum ſecalinum, poſt aliqvot horas ſuccum recentem, poſtmeridiem allatam mixturam duplice vice ſumendam & omni veſpera decoctum amarum, ſic æger noſter ſpatio ſex hebdomadum prorſus reſtituebatur. Alter junior per plures menſes hyemales in noſocomio moratus revera phthiſicus cum manifeſti puris expectoratione & tabe corporis magis magisqve increſcente ſub vernali tempore qveri cepit rigiditatem crurum ſenſim majorem imprimis in maleolis, circa qvos etiam demum in conſpectum veniebant maculæ livido-flaveſcentes, ſpe ſanationis hinc concepta ſolita præſcribebam antiſcorbutica, & ex eventu prorſus optato didici bonum præſagire phthiſicis, qvibus ſcorbutus ſupervenit.

4. Tumor œdematoſus extremitatis inferioris dextræ apud feminam lac præbentem tertia poſt partum hebdomade oriri ceperat per octo jam dies ad notabile volumen adauctus

cum

cum aliqvali dolore & tumore glandularum ingvinalium ejusdem lateris, lac mammarum ſub hujus tumoris acceſſu haud prorſus defuiſſe obſervatum erat, tentatis cremore tartari & aliis diureticis ſine effectu porrigebatur arcani duplicati drachma bis terve per diem, ſub cujus uſu tribus ſeptimanis continuato alvus continuo modice laxabatur, ſenſimqve ille tumor diſſipatus fuit. Haud improbabiliter hic tumor, cum alia illius cauſa haud adeſſet, lacteus & metaſtaticus judicari poteſt, licet non omni lacte mammæ privarentur, e partiali enim lactis retrogreſſu talis effectus tamen intelligi poteſt; num arcanum duplicatum ſpecifico modo ſanationem perfecerit, aut per vim communen evacuantem, ex aliis laxantibus etiam exſpectandam.

5. Diarrhoea inveterata cum ſerius adjuncta tuſſi ſputo puriformi, emaciato & debilitato corpore afflictus vir 64 annos natus adhibuit cochleare minus trihorio pulveris compoſiti e radicis gei urbani uncia dimidia, corticis caſcarillæ, ſimarubæ ana drachmis duabus, juſculo ſecalino omni mane & menſura lactis per diem; ſic poſt tres hebdomades allata ſymptomata tollebantur, verum intumeſcebant crura initio absqve, dein cum vibicibus latis livido rubeſcentibus, qvem tumorem licet aliis ſcorbuti ſignis deſtitutum

tamen

tamen ſcorbuticæ indolis cenſui & per ſuccum recentem taraxaci atqve mixturam ex aceto ſcillitico & ſpiritu ſalis dulci ſanavi. Forſan ſcorbutus ſuperveniens etiam huic uti aliis ſupra memoratis phtiſicis proficuus fuit.

6. Hydrops anaſarca apud virum 26 annorum ſedecim diebus jam ad inſignem gradum perductus erat cum dyſpnoea enormi, tuſſi ſicca, ſibilatione nonnulla pectoris, decubitu tantum tolerabili in latere ſiniſtro, alvo per qvinqve dies laxa, ſiti, urina parca, ante duos circiter menſes ſcabies per ungventa fugata erat; emulſio ammomacalis mox in uſum tracta fuit cum infuſo juniperino & æger continuo in lecto calido tenebatur, alvus poſthac modice laxari pergebat, verum diureſis largiſſima fiebat, adeo ut intra qvatuordecim dies evanidi tumoris loco provenerit ſcabies, qvæ dein debitis auxiliis ſc. ſulphureis, balneo & tandem ſimul illito linimento mercuriali absqve recidivatu hydropis ſanabatur.

7. Tumore oedematoſo faciei decem dierum ſine cognita cauſa exorto & ſub exercitiis militaribus evanido jam ſex diebus magis magisqve tumeſcebant extremitates inferiores cum frigore corporis continuo, alvo tamen, appetitu & diureſi naturalibus, ul-

cus

cus inveteratum cruris dextri adfuerat nuper conſolidatum, variis licet adhibitis diureticis tumor tamen increvit totum corpus occupans, dyſpnoeam & vomitum intercurrentem ſecum ducens; poſt menſis circiter ſpatium locus cruris olim ulceratus per rupturam ſpontaneam ſerum largum fundere incepit, decimo qvarto abhinc die alterum crus eodem modo affectum fuit; ambo dein crura in poſteriore parte ad latam diſtantiam exulcerata & rubeſcentia ſerum largisſimum ſtillare pergebant, illis interea applicabantur lintea aceto & vino cum ſpeciebus reſolventibus & herba abſinthii coctis humectata, intusque præbitum fuit decoctum corticis peruviani cum ſpiritu ſalis dulci, tali modo per duos circiter menſes tumor allatus notabiliter diminutus fuit, tunc verò æger qverebatur dolorem nonnullum hypochondrii dextri, qvapropter in uſum trahebantur pillulæ ad hydropicos No. 4. mane & veſpera & interdiu anima rhei cum ſolutione tartari tartariſati, decimo abhinc die accesſit ſalivatio per qvatuordecim dies protracta & largisſima illo cum effectu, ut omnis tumor ceſſaverit & crura haud alio topico qvam allato epithemate conſolidata fuerint; hydrope ita perſanato ulcera cruſtoſa in nucha & capite efflorescebant verum per paucos dies ſub uſu infuſi leniter purgantis exſiccata. In prægreſſo hydropis exemplo ſat manifeſtum eſt, materiam ſcabio-

ſam intus ſuſceptam ſeroſis humoribus certam ſpisſitudinem præbuiſſe, illosque ita ad ſtaſin diſpoſuiſſe, nonne autem alterius hydrops e ſimili cauſa ſc. materia ichoroſa per inveteratum ulcus generata & per ejusdem conſolidationem dein intra humores retenta ortum traxit? ſub finem morbi exorta haud injuſto critica cenſenda efflorescentia capitis hanc ſententiam probabiliorem reddit. Salutaris ſeri effluxus per ſpontaneam rupturam loci antea ulcerati me in illam opinionem adducit: ſcarificationem & qvidem in loco ante exulcerato præſertim convenire hydropi, qvi originem noſtro caſui ſimilem habuit.

SECTIONES:

8. Dolor preſſorius regionis hepatis qvatuordecim dierum in viro 36 annos nato per biduum ante introitum in noſocomium exacerbatus erat cum vomitu omnium ingeſtorum, atqve ſingultu, pulſum inveni celerem tenſum, faciem flaveſcentem & alvum biduo clauſam; ter eodem die vena ſecabatur, dolor tamen enormis fiebat inſeqventi die per mortem placidam finitus. Aperto abdomine ſedes mali reperta fuit in hepate, cujus ſuperficies concava prope veſicam felleam ad latitudinem volæ manus colorem livido-fla-

ve-

vescentem habebat, præsertim magna illius pars versus dorsum adeo corrupta & friabilis erat, ut minima digitorum vi dissolvi posset.

9. Post partum fauste finitum præterlapso sextiduo femina 24 annorum ad nos ducebatur tribus diebus ægrotans dolore constanti medii abdominis & utriusqve hypochondrii, decubitu intolerabili in lateribus, defectu appetitus, alvo naturali; lochia haud fluxerant, & in mammis nullum lac adfuerat; initio aggressi morbi emeticum propinatum erat & dein vena semel secta, pulsum inveni celerem tensum, abdomen expansum dolens; post venæsectionem adhuc qvinqvies institutam & camphorata intus atqve extus applicita die morbi nono dolor abdominis fere evanuisse dicebatur; die decimo oriebatur alvi fluxus dolorificus, qvo post decem dies finito nil præter tumorem crurum deficere videbatur; die vigesimo qvarto novus gravis dolor accusabatur in regione hepatis & iliaca dextra, abdomen iterum expandebatur & totum corpus hydropicum fiebat; ob doloris vehementiam iterum e vena sangvis phlogisticus qvater ducebatur, repetebantur camphorata & vesicatorium lateri dolenti imponebatur, verum accessit diarrhoea cum gravi cardialgia & vomituritione; sub qvibus die 33tio post aggressum morbum exspirabat ægrota. Aperto

cadaveris abdomine mox conſpiciebatur coalitus univerſalis omnium viſcerum & inteſtinorum tam inter ſe invicem qvam cum peritoneo, in latere abdominis dextro multa materia extravaſata denſa partim puri inſpiſſato partim coagulo lactis ſimile hepar præſertim obducens, in oppoſito latere extravaſatum ſero lactis ſimile aderat. Caſus hic ſiſtit puerperalem febrem non ſolito modo intra paucos dies finitam, ſed ad plures etiam hebdomades protractam. Symptomatum indoles eadem in noſtra ac in alia puerperali febre vix dubiam reddit depoſitionem lactis ad abdomen ſub initiante morbo factam; qvare autem terminus lethalis contra morem adeo procraſtinatus erat? plurima extiſpicia docent, febrem puerperalem mortiferam fieri mediante inflammatione cujusdam partis abdominalis communiter uterinæ in gangrænam converſa, ſub qvo progreſſu citior mors producitur; apud noſtram verò probabile eſt, inflammationem exortam adhibitis remediis a gangræna averſam tranſiiſſe per generationem puris, qvod demum hectico modo, ideoqve lentiori gradu funeſtum fuit.

10. Fluxu alvi vir 29 annorum tribus jam menſibus laborabat initio dolorifico dyſenterico, ſex autem proximis hebdomadibus absqve dolore abdominis, & demum triduo ultimo

ultimo evacuatio hæc involuntaria fiebat, crura & facies valde tumescebant, reliqvum corpus emaciatum & debilitatum erat, & æger molestum frigus internum qverebatur; & post decem dies in nosocomio exactos & varia incassum adhibita sistentia moriebatur. Aperto cadaveris abdomine multum serum effluebat, intestina albissima, tenuia naturalis diametri, crassa admodum contracta, processius pingvedinosi intestini coli speciem hydatidum habebant & incisi serum stillabant, mesocolon valde crassum ultra pollicis latitudinem manifesto oedematosum & sub sectione serum effundens, mesenterium qvoad substantiam mesocolo simile tamen haud adeo crassum, hepar & lien sana. Prima hac vice singularis ille hydrops mesenterii mihi occurrit; qvare non sæpius inter adeo freqventes abdominis hydropes observatur? forsan certus locus obstructionis in vasis resorbentibus ad illam generandam reqviritur.

11. Dolore abdominis in regione supraumbilicali puella 30 annorum jam per tres hebdomades laboraverat constanti, attactum haud ferenti cum vomitu omnium ingestorum, siti insigni, intercurrente singultu, alvo segni nunc qvatriduo clausa, pulsum inveni debilissimum & manus perfrigidas; vena secta, camphorata cum mosco exhibita & vesicato-

rium abdomini applicitum fuit; ſic tertio poſt introitum die membra fiebant calida; ingeſta appetebat & retinebat, & alvus per clyſma aperiebatur, pulſus tamen & ſingultus non mutabantur, citò autem iterum jungebatur vomitus poſtea valde freqvens variæ indolis vel ingeſtorum, vel bilioſus, vel nigreſcentis materiæ, rarò per unum alterumve diem intermittens cum alvo rarò per ſe potisſimum per clyſmata aperta; dolore abdominis inconſtanti qvandoque ad aliqvot dies protracto & per venæſectiones ſublato, pulſus fere ſemper debilisſimus manebat, extremitates mox calidæ, mox frigidæ percipiebantur, effectus morbi ſc. conſumtio hectica indies major tandem poſt ſex hebdomades in noſocomio peractas ſ. novem hebdomades morbi lethalis; ſub morbo ægrota retulit ſeſe per plures annos freqventi laboraviſſe vomitu cum ejectione lumbricorum, qvalis vomitus etiam proxime relapſo anno creber fuerat ſed absque evacuatione vermium. Cadaveris hujus maxime emaciati abdomine aperto mox in conſpectum venit ventriculus enormis voluminis, qvoad ſubſtantiam naturalis, ſed figuram & ſitum habens maxime præternaturalem ſc. lagenæ inverſæ tortæque cujus baſis & corpus a cardia deſcendebant & fere extenſa erant ad ſymphyſin oſſis pubis ubi ad angulum acutisſimum formabatur collum, qvod ſurſum retortum

ad-

adſcendebat ad hepar, ibidem in duodenum terminatum; omnia inteſtina imprimis tenuia contractisſima rubeſcentia in pelvis cavitate depreſſa, reliqva naturalia, En morbum omnibus enteritidis ſignis ſtipatum, tamen ab inflammatione haud dependentem; vix ideo daretur medicus, qvi incipientem talem morbum mox diſcerneret, qvin potius eundem pro vera inflammatione judicaret & tractaret; verum prolongato morbo & inſolito prorſus modo perſiſtentibus vel intermittentibus ſymptomatibus inflammationis imo gangrænæ, prudentis eſt medici, loco inflammationis aliam uti allatam vel ſimilem ſuſpicari internam læſionem; haud abſonum videtur, ſingularem hunc ventriculi morbum derivare a vermibus ibidem hoſpitatis, qvi volumine vel irritatione pylorum occluſerant, tranſitumqve impediverant, ita ut ingeſta in ventriculo debito copioſius collecta & diutius retenta fuiſſent, qvæ cauſa diu agendo tandem ventriculi expanſionem & ſitum adeo enormem atqve præternaturalem producere valeret.

12. Tumore hydropico initio cruris dextri, deinceps ſpatio qvatuor hebdomadum magis magisqve adaucto & ad totum corpus extenſo cum dyſpnoea enormi, alvo laxa pulſu debiliſsimo afflictus vir 25 annorum ter-

tio poſt introitum die moriebatur. Aperto cadaveris thorace cavitas ejusdem dextra ſero repletisſima erat, cor verſus ſiniſtrum latus multo magis qvam naturaliter ſitum, in pericardio largisſima copia ſeri ſangvinolenti, cor ipſum valde pallidum carnis ad inſtar in aqva elutæ, intus in utroqve ventriculo polypos habens, hepar enormis magnitudinis in poſtica parte molle friabile.

13. Dolore hypochondrii dextri & cardiæ vir. 28 annorum tribus, ut referebatur, ſeptimanis afflictus erat cum oppreſſione medii pectoris, tuſi ſica, dyſpnoea enormi ſub omni ſitu corporis æqvali conſtanti, & tanta, ut omni momento ſuffocatio inſtare videretur, pulſum inveni debilisſimum præſertim in brachio dextro vix ſenſibilem, qvoad prægreſſa nobis innotuit ſcabiem ante annum topicis retropulſam fuiſſe, novem adhuc dies in noſocomio præteribant ſub variis ad ſuffocationem prævertendam incaſſum tentatis remediis. Aperti cadaveris viſcera in pectore ſana excepto corde inſolitæ magnitudinis, multum ſangvinem & fluidum & condenſatum in utroqve ventriculo continente, abdomen paucum ſerum extravaſatum habebat, maxime autem præternaturalis erat inſignis moles hepatis pondus qvatuor librarum habens. Sat probabile eſt, vitia hepatis ob nexum cum

dia-

diaphragmate ſæpenumero obſtaculum tandem funeſtum reſpirationis negotio creare, non modo mediate uti in primo exemplo, dum per obſtructionem hepatis notabilem circulatio & reſorptio impediuntur, itaqve extravaſatio & collectio ſeroſa in vicinis cavitatibus producuntur, verum etiam immediate ut in exemplo poſteriore, dum hepar per enorme pondus motui diaphragmatis obſtat, itaqve & circulationem ſangvinis per pulmones difficilem reddit, & adminiculum ſine dubio ad cordis ritam actionem pertinens detrahit, qvali utraqve cauſa cor uti in defuncti noſtri extiſpicio ſenſim magis dilatatum, relaxatum tandemqve ad circulum vitalem promovendum ineptum fieri poteſt.

14. Cephalalgia vertig ſa octo dierum apud qvinqvagenarium bibonem poſt venæſectionem bis repetitam, & veſicatorium in nucha ceſſare videbatur ſub exorto dolore unius genu & cruris, qvi iterum brevi evaneſcebat ſub inſurgentibus ſignis inflammationis inteſtinalis; hiſce per methodum antiphlogiſticam & veſicatoria ſuris applicita devictis ægrotus ad aſpectum convaleſcens ſubitò & placide absqve prægreſſa qverela ullius mali moriebatur. Secto demortui cranio & inciſa dura matre mox largum ſub illa contentum ſerum effluebat, pia mater ſpeciem inflatæ

celluloſæ habens, omnes gyri, ventriculi & baſis cerebri largum ubiqve ſerum continebant, in plexu choroideo utroqve nonnullæ hydatides ſimul aderant. Nonne hydrocephalus hic meritò adſcribitur materiæ arthriticæ mox abdomen, mox extremitates, tandemqve caput repetenti? qvæqve forſan ob copiam notabilem celerem adeo mortem creavit.

15. Cephalalgia in altero 23 annos nato ſeptem cum ad nos venit, hebdomadibus adfuerat univerſalis, gravativa continua absqve ſymptomatibus febrilibus, tamen cum proſtrato appetitu, dejectis viribus, emaciato corpore, alvo naturali, pulſu debili haud celeri; ab infantia cephalalgia moleſtari ſoluit æger faciemq; ſemper & ante hunc morbum & ſub eodem intenſisſime rubicundam habuit; tempore, qvo in noſocomio degit, a 20mo. Aprilis ad 20mum. Junii omnis generis remedia, e qvibus probabile juvamen ſperari potuit, ſucceſſive tentabantur, ſc. hirudines temporales, emetica laxantia, pediluvia, epithemata frigida capiti, veſicatoria diu ſuppurantia tam artubus & nuchæ qvam ipſi toti capiti deraſo, ſetaceum nuchæ, nervina varia ſed omnia absqve ſucceſſu; præter allata morbi ſymptomata in noſocomio obſervabam vomitum cephalalgiæ qvandoqve fortiori adjunctum,

junctum, appetitum qvodammodo naturalem nec non alvi aperturam, ſomnum modicum utplurimum aliqvot horarum nychthemero; die 3tio. Maji viſum duplicatum qverebatur poſtea ita permanentem die 16to Maji ſingultus ceteris jungebatur dein recurrens cephalalgia ipſa vertiginoſa increvit cum exacerbatione irregulari, intolerabili, mox unam, mox alteram capitis partem præ ceteris moleſtans, die 28 Maji vertiginis augmentum pedibus inſiſtere non permittebat, die 3tio Junii & poſtea urina ſæpe involuntario fluxit, die 8vo Junii pulſus antea fere naturalis accelerabatur, die 10mo loqvela valde difficilis fiebat d. 14to Junii nullum corporis membrum movere potuit, tandem lipothymia, qvæ prima vice octavo Maji invaſit, & dein ſub morbo ſæpius revertebatur die 20 Junii in apoplexiam lethalem tranſiit. Aperto defuncti cranio mox in conſpectum venit prominentia cerebri duplex e media parte utriusqve hemiſphærii exſurgens, ſecta ibidem dura matre ejusdem concretio cum cerebro obſervabatur; ablata parca parte hemiſphærii dextri improviſo & ante exſpectationem chirurgi effluxit ſerum largum, qvod extiſpicio continuato vidimus provenire e ventriculo dextro qvam maxime fluido limpido pleno & cavum enorme qvatuor ſaltem unciarum capax conſtituente, ob qvam cauſam, hemiſphærium ſiniſtrum valde com-

preſ-

preſſum & dextro notabiliter minus reperiebatur, in ventriculo ſiniſtro etiam copioſum tamen haud adeo abundans ſerum, qvale extravaſatum qvoqve in ventriculo tertio & baſi cranii aderat; glandula pinealis inſolitæ magnitudinis flaccida qvaſi hydropica intus lapillum & viſibilem & tactu percipiendum habens. In multis caſibus dubium haberi poteſt, num colluvies cerebri in defunctis reperta fuerit cauſa aut effectus morbi mortisqve, in præſenti autem & ſymptomatum indoles atqve progreſſus originem cerebralem indubitatam declarabant, & extravaſati enormis copia diu & ſenſim factam collectionem neceſſariam indicat, adeo ut argumento hujus exempli certi reddamur de extravaſato in ventriculis ſero tanqvam læſione principali ſ. cauſa morbi originali; ideo etiam hic caſus aptiſſime applicari poteſt ad diſcendum, qvænam ſymptomata, qvalisqve eorum progreſſus & finis per tale cerebri vitium ſunt poſſibilia; ſc. cephalalgia reverâ dolorifica, continua, non levanda ſenſim juncta cum vertigine, vomitu, ſingultu, excretionibus involuntariis, debilitate viſus, viribus motricibus ſenſim demumqve prorſus dejectis, lipothymia freqventi tandem apoplectica lethali, qvæ omnia e collecti ſeri cerebralis magis magisqve adaucta copia, indeqve gradatim increſcente compreſſione encephali atqve ita impedito,

tan-

tandem abolito transfluxu vitalis fluidi deduci facile poſſunt. An vitium in glandula pineali ad noſtrum morbum ejusve ſymptomata generandum conſpiravit? juſtius pro effectu habeatur producto per abundantiam ſeri, in qvo perdiu nataverat illa glandula.

MAJUS.

1. Febris bilioſo-putrida 65 perſonæ ægrotabant ſc. 25 leviori, reliqvæ graviori afflictæ. Me judice præſertim duplex diſtinctio gradus in his morbis ad praxin rite determinandam reqviritur, cujus diſtinctionis fundamentum ſiſtunt vires ægrotorum; leviorem hujus morbi gradum intelligo illum, in qvo virium decrementum nondum notabile obſervatur, cujusqve ſigna ſunt pulſus qvodammodo elevatus haud adeo celer, ſtupor nullus vel modicus, vires ad corpus movendum & erectum tenendum qvodammodo ſufficientes; ſub hoc gradu evacuationes per emeſin & catharſin conveniunt, donec ſigna ſaburræ bilioſæ ceſſent, qvo facto cremor tartari alternatim cum mixtura acido camphorata omni hora vel bihorio ad reſtitutionem complendam ſufficiunt

&

& carus cortex non desideratur; etiam observavi congestiones molestas ad certas corporis partes imprimis caput non ad definiendum morbi gradum pertinere, sed qvandoqve in leviori haud secus ac in graviori gradu occurrere atqve per hirudines & vesicatoria juvandas esse. Graviorem morbi gradum appello notabilem virium dejectionem per stuporem manifestum, pulsum depressum, impotentiam ægroti sese erectum tenendi cognoscendam, sat difficile & vix aliis qvam expertis possibile est hosce gradus rite appercipere & distingvere, maximi tamen ad praxin utilem momenti est; in graviori gradu evacuatio cautissime instituenda est, emesis, si non antea instituta sit, semel permittitur, qvandoqve enim mirissime juvat, verum nec hæc sæpius nec aliæ evacuationes catharticæ tutæ sunt, etiamsi lingva sat sordida & sapor putridus adsint; clysma solum qvotidie vel alternis diebus injiciendum, donec vires qvodammodo restitutæ sint, securum est, & reliqva medela per solita roborantia & nervina administrabitur; sed ut ad nostram epidemiam redeam, multi per expectorationem decocto chinæ cum senega sustentatam judicabantur; cuidam convalescere incipienti die 17mo supervenit tumor inflammatorius genæ dextræ prope oculum sat citò in abscessum conversus & pus effundens foetidissimum, alteri similis

ab

abſceſſus metaſtaticus accidit in canto oculi dextri; non pauci etiam tantum leviori gradu morbi afflicti poſt morbum devictum valde vertiginoſi permanebant per veſicatorium in nucha juvati; notabilis ſangvinis congeſtio ad caput admodum commune erat ſymptoma apud ſex ægrotos lethalis ſeptimus ob expectorationem impeditam ſuffocari videbatur; ſcorbutus apud ſex ſeqvela morbi fuit, inter qvos memorabilem habui virum 33 annorum, qvi 17mo morbi die cepit accuſare tuſſim cum aliqvali dyſpnoea; metaſtaſin ut in multis aliis, ſalutarem ad pectus fieri credens præſcripſi decoctum chinæ cum ſenega, dein ſimul kermes & juſculum ſecalinum, verum dyſpnoea increvit demum ad ſummum gradum cum ſibilatione pectoris & tuſi ſemper ſicca, veſicatorium pectori, imo venæſectio bis inſtituta non juvabant, qvin imo dyſpnoea graviſſima cum pulſu admodum debili citiſſimam mortem minabatur; tandem mihi in mentem venit examinare crura ægroti, qvæ qvodammodo tumida parvis maculis liveſcentibus ſcorbuticas referentibus notata inveni, gingyvis licet ſanis tamen mox arripui antiſcorbuticam medelam per decoctum chinæ acidum, poma citri, ſuccum recentem herbarum, qvæ intra paucos dies ægrotum periculo mortis liberabant & dein prorſus ſanabant; digniſſimum, ut

memo-

memoriæ commendetur, æſtimo hoc exemplum, qvo diſcimus, dyſpnoeam noſtræ ad inſtar ſurgentem pro ſymptomate ſcorbuti habere, unde ad hujus pleniorem exploration-nem, & diagnoſin adduci ſicqve convenientem & ſalutarem medicinam applicare poſſumus.

2. Febres intermittentes numeroſæ, tertianæ vel qvotidianæ; dimidia circiter illarum pars ſalinis & emetico ſanabatur, altera corticem deſiderabat. Apud qvendam præparatione licet ad ritum terminum perducta ope corticis cum rheo fugabatur febris, ſed oriebatur obſtipatio alvi, qva per majorem rhei doſin cortici adjunctam ſoluta rediit febris, poſt præbitum ideo emeticum repetita eadem methodus eundem producebat effectum; hinc per aliqvot dies continuos mediante rheo cum ſalinis alvum modice ſubducere perrexi & dein corticem ad qvartanam cum optato effectu exhibui; impuritates primarum viarum qvandoqve celatæ meritò pro cauſa inſolitæ febris reſiſtentiæ contra corticem habeantur; in altero febre per digeſtiva ſublata reſtitit moleſta continua pulſatio vaſorum capitis, qvod ſymptoma tanqvam larvatam febrem fruſtra per corticem debellare ſtudui, verum illud veſicatorio in nucha tollebatur. Ictero apud aliam ſat pertinaci

cum

cum dolore preſſorio hepatis per reſolventia devicto mox oriebantur motus febriles tertiani typi per ſalina ſola ſublati. Alterius febre bilioſa evacuantibus debellata undecimo die oriebatur febris tertiana, qvæ ſalinis tractata poſt qvintum paroxysmum ceſſabat tranſeundo in dolorem gravem preſſorium lobi hepatis ſiniſtri ſub inſpiratione adauctum, facies ſimul flaveſcebat, & alvus ſegnis reddebatur; poſt alvum per cremorem tartari cum nitro & rheo bene purgatam dedi pilulas reſolventes communes mane & veſpera, tincturam rhei cum ſolutione tartari tartariſati ter per diem atqve decoctum radicum graminis & taraxaci, qvibus ſpatio trium hebdomadum ſymptomata infarctus absqve recidivatu febris evaneſcebant. Hiſce exemplis demonſtratur antea notatus nexus febrium intermittentium cum ſecretione bilioſi humoris, ita ut febris, dum illa rite procedit, præſto ſit, dum vero impeditur, ſileat, qvo argumento bilem tanqvam irritamentum febrile probare licet.

3. Febres inflammatoriæ nonnullæ præſertim pectoris; apud qvandam jam octiduo duraverat morbus tamen deinceps freqventer inſtituta venæſectione juvatus; alter illum morbum ſibi contraxerat per ſpiritum frumenti cum pipere contuſo bis ſumtum ad motus nonnullos febriles profligandos; qvi-

dam 53 annorum ſpirituoſis valde abuſus graviſſime afflictus cum pulſu intermittente & ſingultu per optimam medelam a morte die undecimo accedente ſervari neqvivit, ipſum diaphragma ſimul affectum fuiſſe e pulſu & ſingultu haud inepte concluditur; qvædam poſt guttas a vetula contra intermittentem febrem ſumtas loco febris corripiebatur inflammatione inteſtinali, & methodo huic morbo aptata ſat difficulter evadebat. Angina apud puellam 25 annorum ſibi per ſeptem dies relicta ad graviſſimum gradum pervenerat, adeo ut ægrota nec deglutire, nec loqvi, nec os aperire valuerit, pulſus erat celer & tenſus; veſpera introitus ſangvinis phlogiſtici larga copia e vena ducebatur, hirudines circa laryngem & veſicatorium nuchæ applicabantur; altero die morbus minutus per duplam adhuc phlebotomiam & aliam ſolito convenientem medelam tollebatur. Abſceſſu unius cruris apud virum mediæ ætatis poſt effluxum pauci puris cito conſolidato, indeqve triduo elapſo oriebatur frigus cum inſeqventi dolore renalis regionis dextræ, qvi inſtituta venæſectione mox tranſiverat in tuſſim non dolorificam, ſed cum ſputo ſangvineo purulento, poſt ſeptem dies tuſſis hæc iterum ceſſaverat ſub reverſo priſtino illo dolore renali; venæſectione dupla miſi ſangvinem phlogiſticum, intus & extus, camphorata

phorata applicui, nec non veſicatoria in ſuris, ſub qvorum ſuppuratione ad decem dies protracta ſenſim dolor ille prorſus ſublatus fuit; ſat probabile mihi videtur, materiam puris ex abſceſſu cruris reſorptam morbum noſtrum, ejusqve progrediendi modum produxiſſe. Femina 35 annorum contra fluxum uteri ſangvineum unius menſis cum lumbagine & dolore iſchiorum poſt adhibitum corticem peruvianum loco inhibiti fluxus admodum graviorem dolorem qverebatur primo iſchii ſiniſtri, dein etiam regionis umbilicalis & hypogaſtricæ cum retentione urinæ & obſtipata alvo, qvæ ſymptomata per camphorata & venæſectionem ſeptuplam intra octiduum tollebantur, verum remanebat vomituritio intolerabilis qvibuscunqve tentatis antemeticis non cedens, demum, cum omnia inflammationis ſigna per plures dies abfuerant, per ſolutionem tartari emetici verum citavi vomitum, itaqve niſum illum moleſtum abegi; forſan e retenta urina aut ſubito ſuppreſſo fluxu uterino materies qvædam acris reſorpta ventriculum petierat, & irritaverat, haud alio modo, qvam per emeticum auferenda.

4. Scorbutus freqventior qvam in prægreſſo menſe; inter 24 ægrotantes modo qvatuor feminæ numerabantur; licet non

eſſentiales tamen non rari effectus hujus morbi erant dyſpnœa & ſicca tuſſis; qvandoqve unum crus præ altero, imprimis alterutrum genu affiiciebatur, magis ſc. tumens & rigidum; qvidam fluxum alvi ſangvineum tamen haud dolorificum patiebatur, decocto chinæ acido alternatim cum pulvere gummi arabici juvatus; ſcorbutus qvatalis nemini nec hoc nec prægreſſis menſibus fuit letalis.

5. Dyſenteria artificialis apud puellam jam biduo aderat ſc. e clysmate acri, cui duo manipuli ſalis marini admixti erant, exorta nunc talis, ut dejectio citra voluntatem ægrotæ profluxerit; clysma oleoſum bis injectum, intusqve præbitus linctus ex oleo olivarum mucilagine gummi arabici & ſyrupo diacodii ad cochleare majus bihorio paucis diebus illud malum tollebant.

6. Tumor genu apud virum 25 annorum tribus ſeptimanis aderat ſine alio morbo aut cognita prægreſſa cauſa ortus, cum ad nos venerit, notabilis fere ad magnitudinem capitis, cuti concolor, elaſticus, dolens junctu-ram genu & manus latitudinem ſupra illud in tota circumferentia occupans, tripla mox inſtituta venæſectione notabiliter minuebatur & dein per inunctum oleum volatile & balneum vaporis ſpatio 14 dierum absqve inſeqventi alio malo tollebatur.

SEC-

SECTIONES.

7. Poſt grave animi pathema vir. 32. annorum corripiebatur, & jam per 19 dies laborabat dolore hypochondrii dextri, vomitu freqventi, alvo laxa, tuſi moleſta, ſputo ſangvineo, etiam hæmorrhagia narium intercurrente larga, ſapore malo, ſiti inſigni, debilitate enormi lipothymiam minante, pulſum inveni celerem, parumqve tenſum; veſpera, qva ad nos venit æger, terrifica hæmorrhagia narium accedebat, ob qvam mox in uſum vocabam mixturam acidam e ſpiritu vitrioli confectam, alvi laxitas & ſangvifluxus hinc mox ſedabantur, verum dolor abdominis gravior reddebatur cum obſtipatione alvi, aggravato vomitu demum ab omnibus ingeſtis, ſangvis ideo bis mittebatur naturalis indolis ſed absqve juvamine, ita ut æger die qvinto poſt introitum ſeu 24to. morbi die placide exſpiraverit. Aperto cadaveris abdomine inteſtina craſſa reperiebantur valde expanſa rubeſcentia cum ſe invicem conglutinata, inteſtina tenuia valde contracta inflammata, ileum ſphaceloſum, pus præterea extravaſatum inteſtina obduxit. Hepar ſanum, verum veſica fellea albisſima bile prorſus vacua. Talis ut allata, acuta febris, qvam vulgus ſenſu ſtricto bilioſam febrem appellat, poſt grave animi pathema mox orta me judice ſingularem ſpeciem

conſtituit, nec ſc. ad bilioſam putridam nec ad inflammatoriam referenda, priori tamen maxime analoga; extiſpicium ægroti noſtri, & reperta cyſtidis plenaria inanitio ſequentem hujus morbi theoriam probabilem reddere videtur: ſc. per animi pathema violenter conſtricta cyſtide ſimul ac ſemel effuſa eſt contenta bilis partim ad inteſtina fluens, partimqve reſorpta ad ſangvinis maſſam, in priori loco irritamentum qvantitate adeo peccans non poterat non graves excitare dolores motusqve enormes, in poſteriori autem circulationem acceleratam atqve humorum diſſolutionem, hæmorrhagias varias producere valentem; inflammatio inteſtinalis, mediante qva morbus ſine dubio letalis fiebat, vix non ſerior fuit effectus, non ſoli irritamento bilioſo adſcribendus, ſed forſan qvoqve excretioni nocivæ materiæ an per adhibita remedia? impeditæ. Ex hoc theoria prono alveo fluit conveniens hiſce morbis medela ſc. bilem, qvæ in culpa morbi meritò habetur, effuſam aptis remediis evacuare & temperare, ipſosqve naturæ motus evacuantes tanqvam ſalutares non impedire, ſed prudenti modo conſervare & promovere; an emetica qvadrant? non credo, inde timens periculoſum irritationis incrementum, dum verò natura ipſa in hoc actu verſatur, illum per aqvam tepidam largiter ingeſtam adjuvare confert; alias laxantia acidæ indolis po-

tus-

tusqve ſimiles ut ſerum lactis e manna cum cremore tartari paratum, infuſum tamarindorum copioſe & tamdiu hauſta, donec ſymptomata ceſſent, indicatisſima erunt; fugiant autem qvæcunque antemetica, ſiſtentia, opiata tanqvam ſcopo medicationis prorſus oppoſita; nec ſangvinis miſſionem huic morbo utilem judico, aut inveni, qvinimo febrem inde valde increſcentem, citoqve malignæ ad inſtar letalem obſervaſſe mihi videor.

8. Ob ſcorbutum vir. 27. annorum in noſocomio ſuſceptus tribus circiter ſeptimanis ab hoc morbo ſanabatur, verum ſurgebat hydrops ſenſim adauctus & extremitates inferiores & abdomen occupans, alvus interea irregularis erat mox laxa mox ſtricta ſed ſemper ſine adjuncto dolore abdominis, debilitas cum hydrope increvit, & poſt menſis circiter ſpatium ab aggreſſo tumore in mortem finita fuit. Aperto cadaveris abdomine multum ſerum clarum effluebat, omnia inteſtina & peritoneum albisſima cum ſe invicem in regione illiaca dextra conglutinata, prope os pubis peritoneo adhæſit tumor avellanea nuce major ſchirroſus; inteſtina tam tenuia qvam craſſa in variis præſertim qvatuor locis lividum habebant colorem, facta ibidem inciſione intus gaudebant facie carcinomatoſa ſc. tuberculoſa livida, ichoroſa; meſenterium qvaſi

unicum tumorem capite infantili majorem conſtituebat, qvi inciſus e glandulis in ſchirros enormes degeneratis componi reperiebatur, omenti nullum erat veſtigium, capſula meſocoli ſubſtantiæ valde craſſæ formabat enorme cavum, in qvo mira ſeri copia, ut videbatur ad aliqvot menſuras continebatur; pancreas ſanum, pylorus glandulis multis ſchirroſis obſitus; glandulæ juxta tractum ductus thoracici poſitæ etiam magnæ induratæ; hepar parvum diaphragmati & peritoneo ubiqve accretum, lien enormis magnitudinis. Inter mirisſimas haſce abdominales læſiones vix alia pro principali, ſc. e qva ceteræ derivari & produci poterant, haberi debet, qvam obſtructio in conglobatis glandulis imprimis meſenterii; ex hac enim adeo notabili reſorptio per vaſa lymphatica neceſſario & qvam maxime impediretur, indeqve extravaſatio & collectio hydropica tam in cavitate abdominis, qvam illa rarisſima, nunqvam a me antea obſervata, in capſula meſocoli orta foret; ſingularis, qvam notavi, inteſtinorum præternaturalis conſtitutio ſine dubio varicoſa fuit, producta ex ſangvinis impedito refluxu per venas meſenterii e glandulis magnis & obſtructis compreſſas. Illæſa pancreatis indoles ſub corruptione univerſali reliqvarum glandularum abdominis, monſtrat, hanc glandulam nullum circulationis nexum cum ceteris habere. Hepatis con-

cre-

cretio & diminuta moles ut effectus compressionis ex adjacentibus tumoribus æstimari potest; lienis autem, qvi aderat, excessus, communiter sub vitio hepatis influxui sangvinis obstante observatur, sine dubio qvia sangvis per arteriam hepaticam haud, vel difficulter admissus eò majori copia splenica vasa petit.

JUNIUS.

1. Febre bilioso-putrida 47 personæ laborabant, 19 levius, reliqvæ gravius & gravissime afflictæ; congestio ad caput & stupor freqventes & insignis gradus erant; nonnulli metastasin ad pectus patiebantur cum sputo puriformi; tres post morbum scorbutici fiebant; apud duas metastasis parotidum observabatur; in altera horum sub decrescente ad diem 24tum morbo notabiliter tumescebat parotis dextra, applicitis vesicatoriis ad brachia & dein ad suras, verum nullo ad ipsum tumorem adhibito topico, intra aliqvot dies cessabat tumor, sed illius locum mox subiit tussis cum sputo puriformi, cui decoctum chinæ cum senega medebatur; apud alteram sub vigore morbi die 17mo oriebatur tumor

notabilis parotidis dextræ & poſt duos dies ſimilis tumor parotidis ſiniſtræ cum adjuncto enormi ſtupore; mox veſicatoria & in brachiis & in ſuris applicabantur, intusqve pulvis eccoprotico-tonicus alternatim cum mixtura camphorata cum moſco dabatur, qvibus alvus modice laxa tenebatur, die 22do accessit tuſſis cum expectoratione puriformi, nunc loco pulveris decoctum chinæ cum ſenega præbitum fuit; poſt incipientem tuſſim parotides decreſcebant, ſuppurantibus interea largiter veſicatoriis, alvoqve parum laxa manente factum fuit, ut ægra triplice illa ſalutari evacuatione die 14to poſt acceſſum parotidum a periculoſiſſimo hoc morbo liberata eſſet; ſupervenit dein ſcorbutus ſolitis remediis facile devictus. Tranſitus, qvi his exemplis monſtratur, metaſtaſeos a capite ad pectus merito boni ominis putandus eſt, utpote hæc ultima apud plurimos critica obſervatur, vix tamen in poſteriore ægrota ſuffeciſſet, ni aliæ adjunctæ eſſent validæ derivationes & evacuationes, qvas in parotide duplici tanqvam unicum & neceſſarium ſalutis remedium etiam per alias experientias æſtimare didici; ſeptem moriebantur, duæ ob debilitatem, tertia ob ſputum tuſſi ſolutum, ſemperqve deglutitum, qvod ſemper malum portendit, qvia materia morbi in corpore manet, morbumqve regenerat, qvarta ob deglutitionem impeditam

nulla

nulla arte reſtituendam, qvinta obſphacelum lumborum propter excretionem involuntariam non juvandum, ſexta ſomno lethargico ſemper oppreſſa cum uno oculo clauſo ejusdemqve pupilla dilatata ad radios luminis non contrahenda, omnes in ſtatu deſcripto adeoqve ſero nimis ad noſocomium ducti erant; ſeptimus die 24to morbi ſ. die qvinto poſt introitum apoplexia tactus moriebatur, hic ſanitatis tempore ſpirituoſis admodum deditus fuerat, qvalis abuſus putridam febrem communiter periculoſam reddit, atqve funeſtam ad viſcera nobilia capitis & pectoris prægreſſo diætæ vitio debilitata congeſtionem & metaſtaſin minatur.

2. Febres intermittentes ſat crebræ aut tertianæ aut qvotidianæ; ſigna obſtructionis viſcerum in multis occurrebant, ſic miles 29 annorum febre mox tertiana mox qvotidiana afflictus intereaqve per remedia pluries ſanatus, iterumqve ægrotans menſis dein ſpatium in noſocomio ſub fruſtra tentatis digeſtivis & cortice ſimili ac prægreſſo modo peregit, præter febrem hanc irregularem qverebatur dolorem preſſorium hypochondrii ſiniſtri imprimis ſub decubitu in latere dextro, nec non fugaces dolores pectoris, & ſcapulæ ſiniſtræ; ideo dedi pillulas reſolventes cum rheo ad grana qvindecim ter indies, nec non veſicatorium

torium lateri dolenti; bis poſtea modò rediit febris, ſed ſimul cum aliis moleſtiis per allatas pilulas tribus ſeptimanis continuatas ceſſabat; apud alteram febris novem hebdomadum aderat initio tertiana, proximis 14 diebus qvotidiana juncta cum dolore continuo preſſorio hepatis ſub paroxysmis exacerbato; per animam rhei cum ſolutione tartari tartariſati atqve decocto graminis & taraxaci tollebatur ille dolor, & febris dein per decoctum corticis ſanata fuit. Alterius febre tertiana unius menſis per corticem ſanata octiduo jam aderat dolor conſtans preſſorius lobi hepatis ſiniſtri a preſſione externa & decubitu in latere dextro adauctus cum adjuncta lumbagine veſpertina, illumqve inſeqventi æſtu & cephalalgia; ſupra laudata reſolventia omnia hæc mala intra qvatuordecim dies fugabant; qvædam poſt tertianam remediis a medicaſtro ſuppreſſam jam 4 ſeptimanis laborabat ictero cum hepatalgia anorexia, ſapore amaro, vomitu intercurente & tumore oedematoſo crurum; per tincturam ſolventem ſupra memoratam & pilulas ad hydropicos ſymptomata hæc infarctus ſpatio 14 dierum evaneſcebant, qvidam ſimul cum febre ſcorbuto laborabat, uterqve hic morbus per mera antiſcorbutica ſolita tollebatur, verum dolor hepatis oriebatur per pilulas reſolventes & animam rhei ſale mixtam intra

qva-

qvatuordecim dies fugatus; demum in qvinqvagenaria mox qvartana mox qvotidiana per 5 hebdomades adfuerat, qvæ poſt adhibita in noſocomio digeſtiva & emeticum cito ceſſabat, verum ejus loco accuſabatur moleſtus cardiæ ardor bis per diem recurrens & famem notabilem ſecum ducens, tentabantur magneſia alba cum nitro & dein emulſio camphorata ſed absqve juvamine; dedi ideo animam rhei cum ſolutione tartari tartariſati atqve ob alvum ſegnem modicam doſin pulveris nitri cum rheo, hinc alvus parum laxa reddebatur & ardor ille evanuit, ſub qva reſtitutione provenerunt paſſim in corpore maculæ latæ flaveſcentes illis, qvas hepaticas dicunt, ſimiles ſed moleſte urentes ſenſimqve ſponte diſparentes; probabile eſt, eandem fuiſſe cauſam materialem & macularum extus urentium & ardoris interni ſc. acrem bilioſum humorem, qvi remediis laudatis ſolutus & evacuatus fuit.

3. Scorbuto 41 ægrotabant novem feminæ diverſæ ætatis, reliqvi mares; in multis tumor & rigiditas ſcorbutica, imprimis alterutrum genu occupabant, & devicto ſcorbuto reliqvi corporis pertinaciter remediis ſolitis reſiſtebat, inunctus balſamus ſaponis huic malo lente proderat, citius vero & perfectius balneum vaporis; qvidam hoc morbo octo hebdoma-

domades durante maxime emaciatus & adeo debilitatus erat, ut neqvidem in lecto corporis membra movere valeret, viribus per decoctum chinæ acidum qvodammodo restitutis reliqvus morbus solitis antiscorbuticis tollebatur. In duobus speciem phthiseos præ se ferebat scorbutus, vel uterqve morbus erat complicatus; alter erat vir 49 annos natus sex hebdomadis valetudinarius ob tussim initio cum sputo sangvineo, alias oppressionem molestam pectoris & contabescentiam corporis jam notabilem; ob epidemiam scorbuticam & qvia per alia exempla mihi innotuerat, præsertim tunc temporis scorbutum phthisin qvandoqve mentiri, vel eidem salutariter succedere, etiam huc directo examine gingyvas inveni cruentas, maculasqve crurum lividas; præscriptis ideo succo recenti taraxaci, pomo citri qvotidie & jusculo secalino æger sanabatur; alter 23 annorum etiam sex hebdomadibus ægrotabat tussi fere sicca, dyspnœa gravissima, dolore pressorio medii pectoris, debilitato & emaciato corpore, tumore œdematoso crurum qvatuor hebdomadum, in qvibus maculæ aderant livescentes scorbuticis tamen haud prorsus similes, gingyvas autem haud cruentas inveni, dein frusta purulenta per tussim ejecta observabantur; per succum recentem taraxaci poma citrina, jusculum secalinum, acetum

sqvil-

ſqvillitum & ſpiritum ſalis dulcem ana combinata ad guttas 60 ter indies, motuqve corporis ſenſim adaucto reſtitutio ſex hebdomadum ſpatio completa fuit. Inſolito modo morbus vix tamen non ſcorbuticus ſeſe monſtrabat in Islando 19 annos nato; ante qvatuor ſc. hebdomades absqve prægreſſo alio morbo apparuerant maculæ partim lividæ partim rubræ parum elevatæ, vix dolentes, variæqve magnitudinis in utroqve crure poſt octiduum circiter ſponte evaneſcentes, ſuccedente & adhuc duurante aliqvali tumore crurum cum rigiditate & dolore genuum, qvo tempore ſimul acceſſerant maculæ in dorſo utriusqve manus prægresſis illis crurum ſimiles junctæ cum tumore dolorifico manuum, morbum hunc præterea ab initio comitabantur dyſpnoea notabilis ſub motu, debilitas, & ſudor nocturnus, alvum verò appetitum, pulſum & urinam inveni naturalia; qvamvis hic morbus ſtricto ſenſu ſcorbutus æſtimari non potuit, tamen nulli alii haud magis analogus erat, antiſcorbutica eapropter adhibita Elixiruim antarthriticum cum aceto ſcillitico ana ad guttas 60 ter de die & infuſum trifolii fibrini menſis ſpatio morbum tollebant, ultimo octiduo maculæ manibus relictis crura repetebant, cito iterum diſparentes. An etiam ſcorbuticus judicandus eſſet vir qvidam 43 annorum, qvi poſt motus febriles

qvo-

qvotidiani typi, octiduo finitos, jam tribus ſeptimanis laboraverat maculis numeroſis omnium artuum imprimis inferiorum obſcuro liveſcentibus parum elevatis minoribus aut majoribus, non prurientibus, nec dolentibus, interdum diſparentibus, iterumqve reverſis, interea dolor hypochondrii dextri etiam freqvens fuerat gravem vomitum & dyſpnoeam ſecum ducens, oculos parum flaveſcentes inveni, gingyvasqve ſanas, verum ut retulit, antea cruentas; poma citrina copioſe jamjam adhibuerat absque juvamine; menſura lactis qvotidie ſumta nec non tinctura rhei aqvoſa & ſolutio tartari tartariſati ana ad guttas 60 ter indies ſpatio 14 dierum hunc ægrotum ſanabant; forſan haud improbabilis erat theoria, cui hanc medelam accomodabam, ſc. obſtructio hepatis indeqve ad ſangvinis maſſam abſorpta bilis, qvæ cum diatheſi qvadam ſcorbutica conſpirans morbum illum cutaneum produxerat; unicus inter noſtros ſcorbuticos tantum moriebatur qvinqvagenarius circiter, pigerrimns nullo modo ad motum corporis perſvadendus aut cogendus, ab initio ſimul tuſſi ſicca & dyſpnoea graviſſima afflictus, odoremqve foetidisſimum ex ore ſpirans, forſan labes qvædam viſcerum non corrigenda præter ſcorbutum adfuerat. Ex hiſtoria ſcorbuti pro hoc & prægreſſis menſibus vernalibus narrata patet 1. illum morbum præſenti anno epidemicum fuiſſe; ordinarió

in

in Dania ſat rara dantur ſcorbuti exempla, vix ultra decem qvotannis, interdum pauciora, qvandoqve nulla mihi occurrerunt, meritò ideo qværitur de cauſa illius morbi hoc anno popularis; in univerſum duplex diætæ vitium pro cauſa ſcorbuti ſtatuitur ſc. defectus vegetabilium & motus corporis, & qvia his cauſis ſubjectos fuiſſe ſcorbuticos obſervatur, & qvia oppoſita diæta ſc. fruitio larga vegetabilium, atqve corporis motus ſcorbutum ſanat; ut cauſas adjuvantes, ſub qvibus allatæ principales magis efficaces redduntur, numerare licet diuturnum frigus, nam in norvegia multo communiorem, imo in certis locis endemicum hunc morbum obſervavi, nec non habitacula anguſta aere humido & incluſo inqvinata. Hæ omnes cauſæ concurſu haud ſolito in populum hafnienſem vim ſuam exſeruerant, ideoqve effectum ſibi reſpondentem ſ. ſcorbutum epidemico modo graſſantem producebant. Frigus hyemale erat ad modum grave & diuturnum; vegetabilia relapſa æſtate parce creverant, ideoqve pro inſeqventi hyeme rariora & a multis ob caritatem haud acqvirenda, commercii notabile decrementum permultis occaſionem laborandi, vitamqve & ſanitatem per utilem motum conſervandi & ſuſtentandi privavit; & demum huc conſpirans paupertatis effectus ille fuit, qvod plures ſæpe familiæ parcendi gratia in uno anguſtiore cubiculo ha-

bitarent. 2do. noſtra epidemia docuit acceſſum, forſan rectius evolutionem ſcorbuti tempore vernali, & ad mediam circiter æſtatem, nam diario ſequenti monſtrabitur, hunc morbum menſe auguſti ceſſaviſſe, ſimile tempus ſcorbuti norvagici me docuit experientia; calor aeris increſcens per ſe ſane nullam rationem generandi ſcorbuti continet, dum e contra ſimul cum aliis auxiliis apprime convenit ad hunc morbum debellandum, & in regionibus meridionalibus meritò pro præcipuo hujus morbi præcavendi medio putari debet; probabilius verò ſtatuitur, calorem vernalem haud generando ſed evolvendo ad ſcorbuticum ſtatum manifeſtandum conrurrere, dum ſc. materiem hujus morbi diu lenteqve per allata vitia diætæ collectam & tempore frigoris, dum cruori vel celluloſo textui inhæret, innocuam e vinculis ſolvit, circulationi ſubjicit, ad vaſa minora & ſuperficiem corporis propellit, itaqve ad actum illum morbificum in qvo ſcorbutus conſiſtit, perducere valet. 3tius epidemiæ hujus ſcorbuticæ modus notatu haud indignus erat ejusdem raritas apud feminas; illius phenomeni cauſa, dum ceteræ omnes utriqve ſexui communes erant, haud alia eſſe poteſt, qvam diverſa conſvetudo motus; mares per fortiores labores vitam & ſanitatem conſervare ſolent, qvo deficiente adminiculo anſa morbi datur, feminæ autem minus labo-

rio-

rioſam vitam agunt, natura in illis aſsveta eſt absqve validioribus corporis exercitiis noxia excernere morbumqve præcavere, unde ſeqvitur, feminas multo minus, qvam mares diſpoſitas eſſe ad ſcorbutum e defectu motus contrahendi, & ob hanc cauſam illo morbo rarius affici.

4. Madefactis freqventer pedibus in itinere maritimo apud virum 26 annorum ſudor eorundem ſolitus foetidus ſupprimebatur, poſthac mox oriebatur dolor enormis in utraqve planta pedis jam tribus ſeptimanis durans, absqve tumore aut alia externa mutatione, ambulationem, imo ut pedibus inſiſteret æger, impediens; varia ante introitum adhibita erant topica, emollientia, & rubefacientia, verum potius cum incremento, qvam levamine mali; in noſocomio tentata flagellatio per urticas & balneum vaporis nil boni præſtiterunt, ſuppuratio in ſuris per veſicatoria diu protracta majori emolumento fuit, facta demum conſolidatione dolor notabilis remanebat; balneo hinc e novo adhibita, pedibusqve in linteo cerato involutis ſudor ſolitus reproductus fuit, & dolor ſublatus.

5. Hydrops anaſarca apud puellam octo annorum jam aliqvot ut referebatur, menſibus aderat, poſt febrem urticatam ortus

& cum diarrhoea junctus, initio tentabantur anima rhei, infusum juniperinum, dein essentia corticum aurantiorum cum spiritu salis dulci, verum absqve ullo juvamine; ideo dabatur pulvis radicis gei urbani ad cocheare minus bihorio, post paucos dies alvus fiebat naturalis & hydrops dein per idem medicamentum ter de die cum infuso juniperino continuatum sub adaucta diuresi sensim & plenario evanuit; an ideo geo urbano tribuenda est vis diuretica & antihydropica? potius me judice geum ut occasio qvam ut causa sanationis æstimandum est, dum enim unius excretionis largitas alterius raritatem efficit, probabile est, sub alvi laxitate diuresin in nostra impeditam & difficilem fuisse, illaqve per geum naturali reddita, hanc facilius per apta remedia sc. infusum juniperinum promotam esse, eaqve mediante hydropicum serum eductum.

6. Hydrops ut ita dicam, acutus puerum 14 annos natum subito absqve praegresso alio morbo invadebat, totum corpus imprimis scrotum occúpans, cum ad nos venit æger, qvatuor diebus durans cum dyspnoea insigni, tussi, anorexia, sapore malo, cephalalgia, vertigine, debilitate, siti notabili, alvo sæpius, sed parce aperta, urina fere impedita pulsuqve celeri, die insequenti ipecacuánnam præbui cum vomitu citato largo, alvo bene

aperta

aperta & nonnullo levamine; dein mixtura ex aqvæ meliſſæ unciis octo, aceti ſcillitici, ſpritus ſalis dulcis ana drachmis tribus, ſyrupi altheæ ſeſqviuncia ad cochleare majus bihorio, hinc alvus modice laxata & diureſis magis magisqve adaucta fuit, adeo ut ope hujus medicaminis hydrops omnis intra 14 dies ſublatus eſſet, accuſatus dein aliqvalis dolor in regione hepatis brevi per animam rhei cum ſolutione tartari tartariſati diſſipatus fuit. Qvia hydropis talis rariſſima dantur exempla, præſens, ut aptam in ſimili caſu medelam præmonſtrans memoriæ commendari meretur.

7. Hydrops apud militem 38 annorum etiam ſat notabilis occurrebat; huic poſt adhibitum contra ſcabiem balneum maris tumeſcebant crura, ſenſimqve ſpatio 4 hebdomadum corpus integrum, ſcabies nilominus perſiſtebat imprimis in manibus, qvibus ideo 14to die ante introitum impoſita erant folia plantaginis, tumorem manuum exinde cito minutum ſubſecuti erant dolor brachii ſiniſtri & tumor glandularum ſubaxillarium dein evanidi, verum etiam dyſpnœa ſenſim adaucta ad tantum gradum, ut in ſitu erecto ſemper ſedere coactus eſſet, nec minimum qvidem corporis motum, nec loqvi nec alvum deponere absqve minante ſuffocatione

valeret, alvus præterea ſex diebus proximis laxa fuerat, in tanta rerum anguſtia unicam ſpem ſalutis in citiſſima & validiſſima evacuatione poſui; dedi ideo emulſionem ammoniacalem ad cochlearia duo bihorio, mediante qva mox elapſo triduo per largam alvi & urinæ excretionem inſigne levamen productum & intra octo dies omnis hydropitus ſtatus ſublatus fuit, ſcabies autem largius erumpebat & alvus laxa manebat; hac paucis diebus per pulverem radicis gei urbani in naturalem ordinem redacta, ſcabies per balneum magnum & mixturam antiſcorbuticam reſolventem absqve recidivatu alterius morbi ſanabatur.

SECTIONES.

8. Dolor preſſorius medii pectoris, dyſpnoea, tuſſis ſicca integro circiter anno militem 21annorum afflixerant, ſenſimqve increverant, proximis decem diebus alvus laxa fuerat, corpus ægroti jam valde emaciatum & glandulas jugulares induratas obſervabam; tempore, qvo in noſocomio vixit, ſeptem circiter hebdomadum, appetitus conſtanter bonus, alvus ſemper minus magisve laxa cum freqventi non continuo dolore abdominis medii conſtrictorio, decubitus tolerabilis in omni regione

ne corporis præter allata reliqva obſervabanbantur, ſudor nocturnus demum junctus fuit & virium decrementum fiebat letale; aperto cadaveris thorace coalitum totalem utriusqve pulmonis cum pleura invenimus, in abdomine glandulæ meſenterii omnes magnæ duræ, in inteſtinis plura loca livida, qvorum internam ſuperficiem vidimus etiam lividam inæqvaliter promimentem qvaſi a venis varicoſis, cui ſimile exemplum mox ſupra memoravimus; ren modò unicus aderat magnus transverſim ſupra corpora vertebrarum lumbarium poſitus, figura præditus ſemilunari, cujus convexitas & rami ſurſum vergebant, ex angulo hoc obtuſo duplici per ramos cum corpore renis formato exibant ureteres & in ſuperficie antica renum deorſum deſcendebant modo ſolito ad veſicam. Præter ſingularisſimum hunc naturæ luſum ſectio noſtra me docuit inter poſſibiles cauſas dyſpnoeæ notabilis, ſub qva tamen decubitus in omni regioni corporis tolerabilis eſt, numerare coalitum pulmonum cum pleura.

9. Dolori cardiæ & hypochondrii dextri cum alvo ſegni jam per aliqvot menſes apud virum 42annorum duranti proximis tribus ſeptimanis juncta erant ſitis, æſtus tuſſis ſicca, dyſpnoea, ſapor putridus, decubitus in utroqve latere intolerabilis; regionem hepatis

admodum duram, preſſione externa dolentem percepi; menſis ſpatio in noſocomio adhuc vivens fruſtra adhibuit pilulas reſolventes & inunctionem mercurialem in loco affecto, 17mo ante mortem die & poſtea ſingultus intercurrebat, ultimis diebus crura & abdomen intumeſcebant & ab omnibus ingeſtis abdomen graviter dolebat. Aperto cadaveris ventre largum ſerum valde ſangvineum effluxit, omentum fere conſumtum pro reſidua parte conſtabat corpuſculis piſiformibus nigris, ſimilia plura in colo transverſo diſperſa erant, colon hoc valde expanſum in latere dextro cum peritoneo coalitum, meſenterii omnes glandulæ in eadem tuberculа mutatæ erant prorſus nigra, in regione iliaca dextra glandula nigra volumen nucis avellaneæ habens aderat illiqve vicina peritonei pars etiam nigra, integra præterea pars peritonei dextra multa notatis ſimilia corpora nigra cóntinebat, haud vero ſiniſtra, hepar integrum lapidea duritie prædítum componebatur tuberculis nucleos æqvantibus & albis, bilis cyſtica pauca crocea, lien parvus albeſcens. Únde denigrationes hæ partes abdominales adeo miro modo tingentes derivandæ ſunt? ſphacelóſæ putari neqvibant, qvia hujus indolis maculæ potius liveſcentes & late ſerpentes ſ. diffuſæ inveniri ſolent; vaſa lymphatica mediante abſorptione huic phenome-

no

no producendo contuliſſe, eo argumento probabile redditur, qvia glandulæ conglobatæ ad ſyſtema lymphaticum pertinentes præſertim nigreſcebant; an materies illius morbi vere illa atrabilaria fuerit? an abducta ab hepate, cujus ſubſtantia ideo præternaturaliter alba reperiebatur?

JULIUS.

1. Febris bilioſo-putrida 42 perſonæ afflixit, ſeptendecim modico, reliqvas graviori gradu decumbentes; apud duas prioris generis dolor pectoris ſimul aderat, in altera mediocris poſt evacuationes permanens applicito veſicatorio mox ſublatus, in altera gravior ab initio cum tuſſi ſicca poſt evacuationes non levatus, ideò bis inſtituta venæſectione minutus & dein veſicatorio prorſus ſublatus; inter gravius affectos duo ſub progreſſu morbi aphtis laborabant & dein forſan ob ſimilem excoriationem ventriculi vomitu omnium ingeſtorum, qvi verò abſtinentia ab omni medicamine, & ingeſtione ſolummodò blandi decocti avenæ per minuta præbia tollebatur; qvatuor metaſtaſin ad pectus cum

ſputo partim puriformi patiebantur, decocto chinæ cum ſenega & juſculo ſecalino juvati; apud qvandam devicto morbo ſat gravis ſucceſſit inſania, potiſſimum per acetum vini ſanata. Qvinqve moriebantur partim ob enormem ad encephalum congeſtionem; qvidam ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo admodum ſangvineo; alter, poſtqvam ſudantes pedes in aqvam frigidam immiſerat, ex inſtanti corripiebatur cephalalgia & ſtupore inſigni cum reliqvis ut nobis referebatur, ſymptomatibus putridis, qvibus accomodata methodus iam adhibita erat; octavo morbi die, qvo ad nos venit, præter reliqva ſubſultus tendinum & maculæ petechiales conſpiciebantur; hirudines temporales, moſcus, camphora cortex, veſicatoria mortem die 13tio accedentem avertere neqvibant. Origo hujus morbi memorabilis erat: ſc. perfrigerium pedum ſudantium validum, forſan etiam reliqvi corporis qvoad totam peripheriam communicative conſtricti; hinc oriri putridam febrem obſervare ſat qvidem rarum eſt, non ideo tamen rationi incongruum & a materia perſpirabili acri ſubitò & copioſe ad ſangvinis maſſam reducta intelligendum; enormis ſangvinis ad caput congeſtio ſimul adjuncta & forſan mortis præcipua cauſa primæ origini morbi non minus ac febri meritò adſcribenda eſt. Apud juvenem 24 annorum

mor-

morbus noſter depuratoriæ febris vices ſupplevit; Subcenturio hic erat per exercitia fortiora militaria gravi & freqventi refrigerio ſubjectus, duodecim, cum ad nos venit, diebus afflictus tuſſi dyſpnœa, dolore pectoris ſiniſtri ſub motu, tumore œdematoſo crurum notabili, modico reliqvi corporis, intercurrente hæmorragia narium, proximo biduo largiſſima cum aliqvali levamine pectoris, pulſum haud celerem inveni, alvum & appetitum naturalem expectorationem puriformem; ſub uſu emulſionis camphoratæ alternatim cum infuſo ſenegæ ſpatio qvatuordecim dierum tuſſis valde decreſcebat & diureſis augebatur cum inſigni tumoris decremento, verum tunc oriebatur febris tertiana, qvæ poſt qvintum paroxysmum præmiſſaqve digeſtiva & evacuantia cortice tollebatur; reſtitit tamen anorexia cum ſenſu ſingulari ſaturationis, qvapropter porrecta anima rhabarbari ſenſus ille ceſſabat & appetitus qvodammodo redibat, aſt intra paucos dies revertebatur febris tertiana ſub paroxysmis cardialgiam & vomitum gravem bilioſum ſecum ferens, hac vice ob vehementiam paroxysmorum absqve præmiſſo emetico ad corticem cito & copioſe propinandum commotus fui; febre ita ſuppreſſa & elapſo uno alterove die æger conqveri cepit cephalalgiam poſthac continuam cum lingva

ſordida anorexia, ſapore malo pulſuqve celeri, mox dedi emeticum ſolitum cum largo effectu, vomitus dein ſpontaneus virideſcentis maleriæ intercurrebat, urina obſervabatur nigreſcens cum nube mucoſa craſſa, ſenſim coloris minus ſaturati reddita; primo hujus febris octiduo evacuatio alvina clysmatibus & cremore tartari largiter promovebatur, debilitate poſthac notabiliter increſcente decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura camphorato acida cum moſco & veſicatoria in ſuris poſt tres hebdomades morbum ſanabant, intercurrente interea vomitu ſpontaneo biliooſo & in hoc & qvod in aliis obſervavi, levatorio; devicta hac febre omnia mala chronica ſimul fugata erant, nec poſtea redibant. Eadem ſine dubio humorum impuritas diverſorum tamen in caſu noſtro ſibi ſuccedentium morborum materialem conſtituit cauſam, initio hæc mucoſo principio involuta & inertior effectum chronicum & lentorem obſtruentem procreavit, ſub adhibitis dein remediis reſoluta, evoluta, & maſſæ ſangvinis intimius commixta febrem primò intermittentem, tandemqve ſub acrimonia adaucta continuam putridam produxit, mediante qva ſalutaris & plenaria evacuatio cauſæ morbificæ peracta eſt.

2. Febres intermittentes ſat freqventes, fere omnes tertianæ, atqve ad plures, cum

cum ad nos venerint, hebdomades extenſæ, ideoqve corticis uſu opus habentes; in nonnullis ſigna obſtructi hepatis jungebantur; qvidam novem ſeptimanis febre afflictus, bis interea per corticem ſanatus iterumqve illa correptus ſub introitu ad nos ſimul qverens oppreſſionem cardiæ cum flaveſcente facie; alvo per pulverem ſalinum cum rheo modice per aliqvot dies ſubducta itaqve cardia reſtituta cortex ad qvartanam febrem ſanavit absqve recidivatu; in altero ſimilis ſymtomatum concurſus etiam poſt corticem copioſe ſumtum ortus, nec non vomitus freqvens imprimis ſub paroxysmis, anima rhei cum ſolutione tartari tartariſati octo diebus ſumta ſigna infarctus ceſſabant & febris dein cortice fugabatur. Apud alterum febris jam decem ſeptimanis duraverat initio tertiana, dein qvotidiana cum dolore oppreſſorio lobi hepatis ſiniſtri atqve tumore œdematoſo crurum, allata mixtura reſolvens nec non pillulæ reſolventes numero qvinqve mane & veſpera, atqve inunctio mercurialis lateris in uſum trahebantur, ſtatus tamen fere idem per tres hebdomades durabat cum intercurrente hæmorrhagia narium; tunc erumpere cepit ſcabies, qvam æger nec antea paſſus fuerat, nec ab ulla infectione derivare poterat; hac apparente mox ceſſavit febris; aliqvalis tamen reſtitit lateris dolor per applicitum veſicatorium

catorium brevi fugatus; ſcabies dein largius efflorescebat cum inſeqvente plenaria reſtitutione. Vix clarius datur argumentum ad criſin intermittentum mediante ſcabie poſſibilem probandam; facta efflorescentia mihi ſuſpicionem dedit de eadem materie tanqvam cauſa doloris hepatici, qvapropter veſicatorium applicui, cujus citus & ſalutaris effectus ſententiam meam confirmare videbatur. Apud alteram febri bilioſæ continuæ ſucceſſit cephalalgia initio minus regularis cum dolore vago punctorio pectoris, dein regulariter periodica per corticem fugata, ſuccedente autem dolore humeri ſiniſtri per impoſitum veſicatorium mox ſublatus, hic ſine dubio arthritica materies partem irritamenti febrilis conſtituit. Qvidam cum febre tertiana novem hebdómadum ſcorbuto etiam laboravit, porrectis pulvere ſalino ſolito & ſucco recenti taraxaci intra qvatuordecim dies dicti morbi ceſſabant tranſeundo in hydropem anaſariam magis magisqve adauctum emulſione ammoniacali absqve reverſione febris ſanatum. In alio ſcorbutus etiam adjunctus febrem corticis vi ſuperiorem reddidit, ſimul autem in uſum tracto ſucco citri uterqve morbus cedebat. Apud alterum tumor crurum poſt febrem cortice ſanata reſtitit inſignis cum alvo ſegni; per adhibitum pulverem digeſtivum ad qvartanas alvumqve ſic modi-

ce

ce laxatam cito disparuit tumor & rediit febris, qvæ succeſſio ad metaſtaticam indolem talis tumoris demonſtrandam convenit. Femina demum 45 annorum tertiana qvatuordecim dierum absqve alia ſanitatis labe ægrotabat; digeſtiva, emeticum, corticem ritò ordine ſed fruſtra adhibui; emeticum deinceps repetii, poſteaqve corticem largisſima copia verum etiam absqve ulla diminutione febris; menſe ita prætèrlapſo mihi relatum fuit, ſcabiem mox ante acceſſum febris evanuiſſe, hanc ideo materiem pro cauſa rebellis febris habens porrexi ſulphurea, qvibus ſextiduo absqve apparente ſcabie adhitis oriebatur ardor moleſtiſſimus cardiæ cum diarrhœa dolorifica, ſub qva & propinatis ſimul ad vices alternas emulſione camphorata & decocto albo febris per decem dies ſilebat; fluxu autem alvi decreſcente & loco alterius medicinæ anima rhei cum liqvore anodino minerali ſumta mox rediit febris, ſed ut ita dicam, abdominalis conſiſtens in gravi & moleſto frigoris ſenſu interno abdominis ad regulare tempus nocturnum redeunte; poſt aliqvot tales paroxysmos alvus iterum laxa reddebatur cum dolore abdominis, repetebantur ideò emulſio camphorata & decoctum album, qvibus per qvatuordecim dies adhibitis & frigus abdominale & alvi laxitas tollebantur, verum ſucceſſit dolor ſat

gravis

gravis punctorius pectoris ſiniſtri cum pulſu celeri tenſo poſt inſtitutam venæſectionem mutatus in dolorem genuum, cujus ergo arthritidem referentis liqvor nervinus dabatur, verum mox rediit febris memorata abdominalis cum alva laxa; nunc tertia & ultima vice ad ſupra laudatas emulſiones refugium habui cum ſolito ſalutari, jam verò perdurante effectu; roborandi dein ſcopo Eſſentiæ amara Hallenſis uncia dimidia eſſentiæ corticum aurantiorum drachmæ duæ, liqvoris anodini mineralis drachma commixta ad guttas ſexaginta ter die dabantur, & pertinax ita morbus vincebatur; & febris hujus ſingularis ſedes & inſolita, qva curabatur, methodus, memoria dignæ ſunt.

3. Scorbutus prægreſſis menſibus adeo freqvens præſenti modò decem perſonas infeſtabat; duo ſitum erectum absqve lipothymia ſufferre neqvibant, decocto chinæ acido atqve ſucco citri brevi tempore juvati; cuidam unum genu & ſub morbo & poſt illum devictum rigeſcebat, balneo vaporis ſanatum; apud alterum maxime eſſentialia ſcorbuti ſigna ſc. gingyvæ cruentæ & maculæ lividæ crurum haud adfuerunt; verum dyſpnoea cum tuſſi ſicca, & imprimis tumor crurum durus cum epidermide exſiccata atqve rigiditas genuum ſcorbuticum præ alio deſignabant morbum,

qviqve

qviqve antiſcorbuticis remediis ſolitis etiam cedebat.

4. Inter capitis affectus memoranda eſt cephalalgia enormis apud feminam 56 annorum mox poſt ſcabiem ungventis exſiccatam oborta, tribus jam ſeptimanis fere continuò durans; tentata ſulphurea nec ſcabiem nec levamen produxerunt; veſicatoria autem in brachiis cum ſuppuratione per ungventum cantharidum promota ſpatio qvatuordecim dierum tollebant dolorem. Juvenis 17 annos natus menſis ſpatio ægrotabat dolore vago mox caput, mox artus mox abdomen cum cardialgia & vomitu occupante, præterea ſcabies larga, gingyvæ cruentæ inveniebantur & qvod præſertim notari debet, fluxus ſeroſus admodum largus e capite ſtillans absqve inſeqventi cruſta aderant; antiſcorbuticis & balneo gingyvæ & ſcabies ſanabantur, caput verò idem integro menſe per omnes poros ſerum copioſum fundere pergebat; infuſum ideo theiforme e raſuræ ligni ſaſſafras, gvajaci ana uncia, foliorum ſennæ uncia dimidia, ſeminis feniculi drachmis duabus, nec non pulvis ex antimonii crudi, oculorum cancrorum præparatorum ana ſcrupulo mane & veſpera ſumtus porrigebantur, atqve caput prorſus deraſum fuit, qvibus adminiculis fluxus ille ſpatio qvatuordecim dierum absqve recidivatu tollebatur.

5. Pectorales morbi nonnulli partim inflammatorii ordinarii omnes sanati; qvædam dolorem patiebatur in regione ipsius cordis cum debilitate & pulsu notabiliter intermittente tamen duro, atqve tussi nonnulla sicca; post septuplam venæsectionem cum sangvine phlogistico & exhibita camphorata morbus die 14to per sudorem largum judicabatur absqve ulla expectoratione, pulsus haud amplius intermittens posthac observabatur. Sedes doloris, indoles pulsus, defectus expectorationis me hunc morbum carditidem credere faciunt. Virum qvinqvagenarium cursu violento absoluto mox invasit constrictio faucium cum sensu instantis suffocationis brevi tamen evanido, respiratio verò permansit admodum crebra, anhelosa, sibilans, qvæ adhuc postridie, cum ad nos venerit, durabat cum sensu constrictorio cardiæ & hypochondrii utriusqve, tussi levi, pulsu haud celeri inæqvali, e vena ducebatur sangvis mollis & pulvis refrigerans cum mosco porrigebatur; tertio die respiratio parum facilior, vena adhuc bis secabatur cum insigni levamine imprimis dum corpus qviescebat, qvinto die anhelatio fere cessavit, sed ejus loco tussis gravis qvasi convulsiva accessit, nunc emulsio camphorata cum mosco porrecta fuit, verum cito redibat molesta anhelatio, qvam camphoræ adscripsi, huic ideo

sub-

ſubſtitui kermis mineralis granum alternatim ſumtum cum pulvere ſupra laudato atqve veſicatorium magnum medio pectori applicui, anhelatio hinc decrevit, haud verò, anteqvam ſimul veſicatorium inter ſcapulas admotum fuerit, prorſus ceſſavit, reſtitit poſthac tuſſis catarrhalis indolis cum raucedine & ſputo mucoſo per juſculum ſecalinum & mixturam e ſpiritu ſalis dulci atqve aceto ſcillitico compoſita facile fugata. Anhelatio brevi durans ſolitus eſt effectus curſus debito fortioris; verum adeo continens jure morboſa putanda eſt; anhelatio prioris generis e ſangvine citius commoto & crebrius in pulmones impulſo facile intelligitur, noſtra autem poſt evanidam allatam cauſam perdurans, aliam neceſſe eſt, ut habuerit; nonne hæc proxime agens fuit ſpasmodicus diaphragmatis motus, per pituitoſam pulmonum colluviem excitatus & continuatus; moſci ſalutaris effectus & terminatio morbi per ſputum mucoſum hanc ſententiam probabilem reddunt.

6. Abdominales morbi, imprimis alvi fluxus dyſentericus nonnullos infeſtabant. Viro 36 annorum poſt neglectam peripneumoniam valetudinario, emaciato, puriformia expectoranti fine menſis Julii ſupervenit dyſenteria, cui adhibitis licet ipecacuanna & rheo tamen circa qvartum diem jungebantur

ſingultus, gravis cardiæ dolor, & intercurrens vomitus ſpontaneus, nunc mucilago gummi arabici ad octo circiter uncias nycthemero porrigebatur; intra octo dies dolor abdominis hinc ceſſabat, ſingultus rarior, ſed alvus æqve laxa manebat, nunc etiam ob tuſſim moleſtam juſculum ſecalinum in uſum trahebatur, & poſt octo abhinc dies nil mali præter modicam non dolorificam alvi laxitatem ſupererat, per pulverem radicis gei urbani prorſus ſanata. Alter 30 annos natus etiam per menſem pectoris morbo, primum inflammatorio dein illius ſeqvelis debilitatus & fere reſtitutus incidit in fluxum dyſentericum; ſolutio mannato-oleoſa aliqvoties repetita, rhei pulvis atqve tinctura duodecim diebus porrecta mox in melius, mox in pejus vergentem morbum monſtrabant, tunc ſubito ſupervenit ter cito repetita depoſitio meri & admodum copioſi ſangvinis, pulvis ideo radicis gei urbani porrigebatur bihorio & larga qvantitas mucilaginis gummi arabici, morbus ita triduo levior apparet, dein pejor redditus; qvapropter loco gei electuarium antidyſentericum propinatum poſt octo dies fluxum menſe protractum qvodammodo ſedavi; interea ſcorbutus per gingyvas qvam maxime cruentas ſeſe monſtravit, cui ſuperſtitem alvi laxitatem haud immerito adſcripſi, pro aptiſſima medela nunc elegi decoctum

chinæ

chinæ acidum alternatim cum pulvere gummi arabici, qvibus intra ſedecim dies æger prorſus reſtitutus fuit. Qvatuor hoc fluxu minus gravi laborantes ipecacuanna, rhei pulvere, & dein tinctura adhibitis ſanabantur; apud ſeptimam allatis non ſufficientibus alvum laxam licet absqve dolore permanentem pulvis gei ſiſtebat. Octavus 50 annos natus jam qvatuordecim diebus, cum ad nos venerit, dyſenteria ægrotans nec ſupramemoratis nec aliis remediis a morte poſt menſem morbi completum accedente liberari potuit. Sub protracta ideo dyſenteria imo ſat gravi mucilaginoſa copioſe ingeſta, atqve pulverem radicis gei urbani haud contemnendam medicatricem vim poſſidere allatis exemplis conſtat. Diarrhœa apud alium qvinqve hebdomadum non dolorifica cum tuſſi inveterata juncta etiam per pulverem radicis gei ſedabatur cum levamine, qvantum potis erat, ipſius pectoris; qvædam 15 annos nata poſt diarrhœam inhibitam expanſione notabili abdominis imprimis pomeridiana laborare pergebat, atqve per infuſum abſinthii bis die ſumtum nec non pulverem radicis gei & vermifugum ad cochleare minus ter indies juvabatur.

7. Tumores. Hydropem anaſarcam in femina 30 annorum ſpatio qvinqve hebdo-

madum magis magisqve adauctum cum tussi & dyspnoea emulsio ammoniacalis intra qvatuordecim dies prorsus sustulit. Apud alteram 34 annos natam tumor aderat bimestris primò crura, dein femora & tandem abdomen jam cum fluctuatione occupans, diarrhoea simul ab initio adfuerat & triduo proximo vomitus omnium ingestorum; menstruus fluxus dimidio anno suppressus erat; præterea retulit ægra sibi ante duodecim annos per morsum vulpis inductum fuisse ulcus cruris sinistri, qvod deinceps omni æstate recrudescere solitum erat, hyemali tempore & impræsenti consolidatum; hinc credens, acrimoniam retentam & hydropicam & abdominales affectiones producere, contra has qvippe maxime urgentes præscripsi infusum radicis salep ad cochlearia duo majora bihorio, post biduum vomitus ita sedabatur & diarrhoea minuebatur; exhibitis dein anima rhabarbari atqve infuso juniperino diuresis notabiliter increvit, tumorqve cito evanuit sub recrudescente allato cruris ulcere. Alia 24 annos nata tribus jam mensibus laborabat notabili tumore duro extremitatum inferiorum etiam post ulcera inveterata crurum consolidata oborto, cui per paucos dies junctum erat exanthema tuberculosum rubrum nec pruriens nec dolens in manibus & antibrachiis; elixirium antarthriticum cum æqvali parte aceti scillitici ad guttas sexaginta

ter

ter indies, infuſum trifolii fibrini, atqve menſura lactis hanc ægrotam intra qvatuordecim dies ſanabant. In alio 24 annorum ulceribus itidem veteribus exſiccatis oriebatur jam tribus ſeptimanis durans tumor oedematoſus notabilis artuum inferiorum tandemqve ſcroti, ſcabies nonnulla ſimul aderat, ſub uſu emulſionis ammoniacalis alvus modice laxabatur, diureſis bene procedebat, & qvod rarius erat, ſerum copioſum e locis ſcabioſis effluxit, qvibus excretionibus menſis ſpatio tumor omnis evanuit, & ſcabies largius erupit, ſolito modo ſanata. Ex his exemplis patet, qvam aptæ ad generandum hydropem habendæ ſint humorum impuritates ulceribus creatæ, illisqve exſiccatis in maſſa ſangvinis retentæ?

8. Apoplexia ſubitò ſine cognita cauſa aggreſſa puellam 25 annos natam vi loqvendi atqve artus lateris dextri movendi prorſus privabat, intercurrente autem freqventi convulſivo motu lateris ſiniſtri, intra qvindecim abhinc mox elapſos dies freqvens ſangvinis miſſio per venam, nec non per hirudines temporales, laxantia, veſicatoria verum absqve ulla mutatione morbi in uſum trahebantur, nunc ideo porrigebatur emeticum, cujus abſoluto effectu ægrota confeſtim verba nonnulla licet intellectu parum difficilia proferre

valebat, poſteaqve per diuturnum uſum liqvoris nervini, pulveris cremoris tartari cum rheo mane & veſpera ſumti, urticationis, frictionis, cum cucurbitis ſiccis per artus affectos ſæpius tractis loqvela reſtituta fuit, & membra haud qvidem completam, attamen tantam recuperabant vim, ut ambulare aliosqve utiles motus perficere potuerit. Præſertim ideo hic caſus mihi memorabilis videbatur, qvia præ aliis exemplis indubitatam emetici efficaciam me docuit.

SECTIONES:

9. Dolor preſſorius cardiæ virum qvadraginta circiter annos natum poſt hauſtum frigidum, dum corpus valde incaleſcebat, mox aggreſſus erat, jam qvatuordecim diebus durans, conſtans, ſub motu corporis maxime moleſtans ad tantum tunc gradum, ut ſuffocatio inſtare videretur; pulſus non febrilis, ſitis verò aderat inſignis; ſangvis aliqvoties miſſus naturalis, camphorata, veſicatorium affecto loco applicitum, nullam morbi mutationem produxerunt; menſis ſpatio ſic præterlapſo dyſpnoea reddebatur notabilis cum tuſi ſicca, facies & abdomen, imprimis crura tumeſcebant; alvus demum reddebatur laxa, dolor cardiacus inſigniter increvit & ſex ſeptima-

timanis morbi peractis morte finitus fuit. Aperto cadaveris abdomine ſerum nonnullum rubrum effluebat, & inteſtina coloris lividi apparebant; in pectore mox vidimus tumorem notabilem pericardio antice adhærentem, qvem inciſum œdematoſum eſſe & ſerum effundere comperimus, pericardium ipſum inſignem copiam ſeri ſangvinolenti cum corde magno includebat; in cavitate utraqve pectoris etiam ſerum nonnullum ſangvinolentum effuſum erat. Collectio ſeroſa imprimis pericardii ſenſim adaucta tandem mortis cauſam conſtituit & meritò adſcribi poteſt incautæ potioni, cujus validum frigus duplice modo nocuit ſc. & condenſando vaporem in calefacti corporis cavitatibus copioſe effuſum & conſtringendo venas reſorbentes, ex qva utraqve actione exhalantis vaporis ſtagnatio & in verum liqvidum ſeroſum formatio intelligitur.

10. Dolore oppreſſorio cardiæ & hypochondrii dextri unius menſis laborabat vir 28 annorum cum adjunctis dyſpnoea inſigni, tuſi ſicca, diarrhoea modica, decubitu intolerabili in latere ſiniſtro & demum tumore œdematoſo crurum per octiduum proximum præſente; poſt 17 dies in noſocomio tranſactos incrementum dictorum ſymptomatum mortem induxit. Secto cadavere & coſtarum ſo-

lutione ſolito modo inſtituta mox profiluit e pectore dextro ſangvis brunni coloris attenuatus, qvi deinceps in hac cavitate ad largisſimam copiam inveniebatur cum intermixtis multis membranis, qvæ vaſculis ſat manifeſtis præditæ erant, pulmo dexter minimus verſus diaphragma poſitus & qvaſi in membramam craſſam absqve parenchymate degeneratus, alter pulmo ſanus; ventriculus cordis uterqve imprimis dexter multum ſangvinem continebat; Hepar enorme durum flaveſcens pasſimqve in ſubſtantia ipſa calculos & viſibiles & palpabiles continens, cyſtis naturalis, inteſtina in variis locis anguſtata & livido-flaveſcentia. Prima hac vice, ni memoria fallit, calculos hepati ipſi inhærentes obſervavi. Funeſta pulmonis læſio haud injuſtò tribuitur circulationi per notabilem adjacentis hepatis indurationem impeditæ.

11. Debilitatus qvam maxime juvenis 18 annos natus retulit, ſe intermittente per octo hebdomades laboraviſſe febre, aliqvot diebus nunc ſilente, iam qverens dyſponeam inſignem, decubitum tamen tolerabilem in omni regione corporis, ſitim notabilem, alvum octiduo clauſam vomitum omnium ingeſtorum octiduo, moleſtantem cum cardia dolenti & tumenti; facies pallido flaveſcens, labia, gingyvæ, lingva prorſus alba & exſangvia,

pul-

pulſus celer & irregularis erant; pauperrimus præterea hic miſeram vitam degerat & poſtridie ab introitu exſpirabat. aperto cadaveris abdomine nil præter naturam obvenit qvam hepar enormi magnitudine & flaveſcenti colore præditum, pericardium multum ſeri includebat, cor magnum palliduin, in ventriculo ſiniſtro continuit polypum notabilem laxum gelatinoſum & ſangvinem tenuem aqvoſum. Hic caſus haud iniqve morbus paupertatis nominari poteſt, ſc. debilitas ſolidorum & defectus fluidorum per inopiam omnis ad vitam ſuſtentandum neceſſarii adminiculi contracta & ſub accedente morbo per ſe haud adeo periculoſo ad tantum gradum provecta, ut cordis vires ad motum debitum perficiendum haud amplius ſuffecerint, unde & concretio polypoſa & ipſa mors producta ſunt.

12. Febris qvotidiana menſis ſpatio feminam 22 annos natam moleſtabat, initio ſimplex, dein poſt ſumptum ſpiritum frumenti cum pipere duplex, ita ut paroxyſmus hora ſexta & matutina & veſpertina, utraqve vice ad horas circiter qvatuor extenſus redierit, ſecum ducens inſignem dyſpnoeam & tuſſim ſiccam; tempore apyreto cardialgia & debilitas inſignis gradus aderant; duplicationem hanc qvatuordecim diebus iam durantem comitabatur diarrhoea; biduo poſt introitum

dolor

dolor prope genu dextrum accuſabatur; cortex magna copia ingeſtus nil aliud effecit qvam qvod paroxyſmi ad diverſas diei horas etiam triplice vice nycthemero & varia duratione qvandoqve cum ſolo frigore qvandoqve cum inſeqventi æſtu redierint; decem ita diebus in noſocomio relapſis crus dextrum intumuit & in dolenti loco ſc. exteriore parte prope genu ſurrexit tumor circumſcriptus mollis, ubi cataplaſma emolliens applicitum fuit; frigora febrilia licet mitiora tamen continuabant, qvarto poſt adhibitum cataplaſma die abſceſſus genu inciſus largum pus fundebat; vires iam valde debiles obſervabantur, ob qvarum defectum poſtridie a facta inciſione ægrota exſpirabat; explorato apud defunctam ulcere cruris invenimus cavum, ubi pus antea continebatur, ſub muſculis ſat amplum prope os ipſum & ligamenta genu, verum absqve horum læſione aut corroſione; & circumferentia cavi prorſus livida erat; in abdomine nil aliud præternaturale qvam hepar, cujus ſuperficies concava ad crasſitiem aliqvot linearum fere nigra & debitò mollior erat; in pectore ambo pulmones cum coſtis ubiqve coaliti; cordis ventriculus ſiniſter vacuus, dexter ſangvinem multum non condenſatum includebat. Nulla eſt dubitandi ratio, imprimis dum plura exempla eandem ſententiam confirmant, qvin duplicationes in noſtra febre

bre e pure ejusdemqve reſorptione originem traxerint; nonne e vitio hepatis poſt mortem reperto concludere liceat? ibidem incepiſſe ſuppurationem, atqve pus deinceps verſus genu directum & depoſitum fuiſſe.

13. Dolor oppreſſorius hypochondrii dextri & regionis ſupraumbilicalis apud puellam 20 annorum diu duraverat per tres menſes exacerbatus cum adjuncto tumore œdematoſo crurum & dyſpnœa, menſtrua per novem menſes abfuerant, diarrhœa mox poſt introitum reliqvis jungebatur cum ſalivatione multa; varia exhibita remedia nil effecerunt, debilitas enim indies major demum poſt qvinqve in noſocomio ſeptimanas finitas mortem induxit. Aperto cadaveris abdomine ſerum nonnullum ſangvineum effluxit, meſenterium mox in conſpectum venit valde tumidum ob glandularum omnium inſignem molem & indurationem, glandulæ pelvis, atqve pectoris ſimili modo degeneratæ erant; inteſtina tenuia variis in locis coloris lividi obſervabantur, ibidemqve debito laxioris ſubſtantiæ, imprimis hoc modo vitiatum erat ileum prope valvulam Bauhini, ubi interna ſuperficies inæqvaliter tumeſcebat cum colore livido-rubeſcente; pancreas prorſus ſanum, hepar cum peritoneo & diaphragmate concretum, pulmo dexter cum pleura coalitus. Di-

arrhœa

arrhœa & atrophia communes ſunt effectus obſtructionis glandularum meſenterii ex impedita reſorptione neceſſarii & intellectu faciles, rarius autem inde producitur ſingularis conſtitutio inteſtinorum, qvam antea in binis exemplis obſervavi & notavi, & pro varicoſa intumeſcentia tunicæ vaſculoſæ habui, qvæqve pro cauſa majorem deſiderat glandularum infarctum atqve molem, adeo ut venæ adjacentes comprimantur, itaqve ad reducendum ſangvinem ineptæ reddantur.

14. Dyſenteria puellam in noſocomio ſuſceptam iam octo diebus cruciabat; debilitas præterea aderat enormis cum pulſu celeri & exili, ipecacuanna, geum urbanum electuarium antidyſentericum, mucilaginoſa incaſſum porrigebantur, die undecimo excrementa viridia involuntario fluxerunt, die decimo tertio ſingultus jungebatur & diem decimum ſeptimum finivit mors. Aperto cadaveris ventre invenimus omentum macilentum rubeſcens, omnia inteſtina imprimis craſſa livida apparebant, qvi color haud exteriores ad tunicas pertinere, ſed per illas ab interiore parte transparere videbatur; tractus inteſtinorum qvibusdam in locis anguſtatus, perluſtrata interna facie inteſtini cœci atqve coli vidimus tunicam villoſam alibi adhærentem & alibi deraſam, ibidemqve tunicam vaſculo-

ſculoſam lividam qvaſi ſangvine plenam, meſenterium rubeſcens vaſis diſtinctis pleniſſimum. Qvo modò dyſenteria hæc mortem induxit? duplex ratio me judice tantum poſſibilis eſt, aut inflammatio cum illius ſeqvelis funeſtis, ſuppuratione vel gangræna aut exinanitio & jactura virium plenaria; prior ſi in culpa fuiſſet, per ſectionem apparuerat, ſc. inteſtinorum ſuppurata aut gangrænoſa indoles, num verò reperta inteſtinorum læſio talis haberi poteſt? vix credo, utpote nec puris indicium, nec omnes tunicas penetrare ſolens ſphaceloſa corruptio & mollities aderat, lividus verò color ut in mox prægreſſo exemplo e plenitudine ſangvinis in tunica vaſculoſa derivari poteſt; per ſe autem ſufficiens cauſa mortis cenſeri debet exinanitio per ſeptendecim dies portracta, ſub qva non modo nutritio omnis impedita, ſed etiam alii multi humores laudabiles detracti erant, qvinimo ſomnus pro maxima parte defecerat; vix vero fortiſſimus absqve nutrimento & ſomno vitam tam diu ſuſtentare valeret. Hæc obſervatio timorem inflammationis ſub dyſenteria exorientis frangere videtur.

AUGUSTUS.

1. Febris bilioſo-putrida 40 perſonas, novendecim modico, reliqvas graviori gradu detinuit. Apud puellam 18 annos natam ſub incipiente convaleſcentia die vigeſimo primo provenit in pectore & dorſo purpura alba, primo biduo ſecum ducens oppreſſionem pectoris & aliqvalem cephalalgiam, ſub adhibito liqvore nervino intra qvatuor dies puſtulæ diſparebant, & ſanitas illæſa rediit. Qvidam a ſcabie diuturna per convenientem licet medelam internam & externam liberatus mox incidit in putridam febrem gravioris gradus, qva decreſcente ſcabies rediit; unde patet, etiam e tali humorum impuritate, conſpirante forſan alia diſpoſitione, putridam febrem induci poſſe; qvinqve moriebantur, duo ob meram debilitatem, tertius ob adjunctam diarrhoeam non compeſcendam, qvartus ob ſputum impeditum, qvintus demum cum enormi congeſtione humorum ad caput; omnes ante introitum ſummo ſtupore & debilitate oppreſſi erant, diuqve ægrotaverant.

2. Intermittentes paucæ. Apud qvendam tertiana poſt qvintum paroxyſmum devictum

victum ſponte tranſibat in dolorem pectoris ſiniſtri, qvo per venæſectionem & camphorata devicto rediit febris, cujus regulares paroxysmi ſub uſu cremoris tartari & nitri citò ceſſabant vel mutabantur in ſudorem omni nocte absqve alio febrili ſymptomate revenientem & per corticem denuo inhibitum.

3. Scorbuto decem laborabant utplurimum ſimul incuſantes moleſtam lumbaginem inunctione linimenti volatilis fugatam.

4. Pectoris dolore ſex ſeptimanis, cum ad nos venit, vir 35 annorum ægrotabat, qvi initio fuerat acutus punctorius cum ſputo ſangvineo, ſenſim dein mutatus in oppreſſorium univerſalem pectoris dextri, ita ut omnia interſtitia coſtarum a qvarto & deorſum doluerint; dyſpnoea notabilis ſimul aderat cum tuſſi & ſputo mucoſo, nec non decubitu tantum in latere ſano, ſ. haud affecto, tolerabili, pulſum vix celerem inveni; dupla inſtituta venæſectione, infuſo ſenecæ cum oxymelle ſqvillitico ad cochlearia duo bihorio porrecto, atqve veſicatorio, in affecta parte, dolor primum inconſtans reddebatur & intra qvatuordecim dies prorſus evanuit. Hic caſus exemplum ſiſtit rheumatismi, qvi ſine dubio pulmones initio affecerat, & dein tantum exteriores partes occupabat; mox talem dolo-

ris indolem ſuſpectam habui, & ob illius ſedem atqve diuturnitatem, & ob decubitum in latere ſano maxime commodum, partimqve ob pulſus conditionem non febrilem.

5. Enteritidem jam ſeptem diebus durantem puella 30 annos nata ſibi contraxerat poſt potum frigidum incaleſcente corpore largiter ingeſtum, dolor abdominis aderat conſtans cum obſtipatione alvi, ter iam vena ſecta fuit, camphoratis & phlebotomia adhuc ter repetita ceſſavit dolor, verum alvus clauſa permanens clysmate oleoſo ſolvebatur absqve reverſione doloris, ſed odontalgia acceſſit, qvam ſucceſſionem pro ſigno rheumaticæ indolis haud iniqve habebam.

6. Dolor abdominis in femina 39 annorum poſt fluxum menſtruum frigore ſubito ſuppreſſum obortus tribus jam ſeptimanis durabat, initio vagus, ſextiduo proximo fixus in regione illiaca dextra jam tumida, attactum externum haud ferente; hæmaturia aliqvoties ſub morbo adfuerat, pulſum inveni celerem; vena ſecabatur prima vice cum ſangvine naturali, dein ſexies cum ſangvine phlogiſtico, camphorata ſimul exhibita, qvibus dolor ille poſt qvinqve dies ſublatus fuit ſine dubio inflammatio hæc ad partes uterinas pertinuit.

7. Hæ-

7. Hæmorrhagia uteri in puella 34 annorum tribus jam ſeptimanis aderat, pro maxima parte continua, octiduo proximo intermittens & cum ſeroſo fluxu alternans; debilitas iam aderat inſignis cum ſuſurru capitis, erecto corporis ſitu intolerabili & lipothymiam minante, corpore pallido, pulſu celeri debili; a vigeſimo ætatis anno talis menorrhagia ſemel aut bis tempore æſtivo ægrotam moleſtaverat, cum increſcente ætate adaucta, & jam ad ſummum gradum perducta; fluor albus nunqvam adfuerat; Decoctum corticis peruviani, cujus unciis duodecim ſpiritus vitrioli drachmæ duæ appoſitæ erant, bihorio ad cochlearia duo porrectum intra paucos dies fluxum illum ſiſtebat, dein pulvis e corticis peruviani uncia dimidia, nitri depurati drachmis duabus, radicis rhei drachma, aliqvoties per diem ad integram usqve reſtitutionem virium ſumebatur. Hic fluxus merito e laxitate vaſorum uteri derivandus eſt conſvadente tempore, qvo incidere ſolebat, æſtivo laxitatem corporis inducente.

8. Inter arthriticos puella 23 annorum laborabat tumore dolenti notabili unius genu, qvi ſub uſu ſolutionis gummi gvajaci aqvoſa, atqvé ſuppuratione artificiali diuturna, ope cantharidum infra genu promota, intra tres hebdomades tollebatur, relicta aliqvali rigiditate

balneo vaporis, & ungvento althææ juvata erat. In altero 48 annos nato iſchias jam menſe durans ſolutione gvajacina & balneo vaporis per tredecim dies ſine juvamine tentabatur, ſimul ideo ſuppuratio artificialis infra genu affecti lateris in uſum trahebatur, ope cujus morbus intra ſex dies fere ſublatus fuit. Alter 35 annos natus bimeſtri ſpatio arthritide afflictus partim vaga, partim fixa in juncturis humerorum per ſex dies ſub uſu ſolutionis gvajaci & balneo vaporis ita juvabatur, ut tantum modicum illius veſtigium ſupereſſet in junctura humeri dextri, veſicatorio ibidem applicito, cito ſublatum; duo remedium gvajacinum absqve juvamine adhibebant, alter contra iſchiadem, altera contra dolores rheumaticos initio cum febre bilioſa junctos & dein absqve febre per ſe ſubſiſtentes. Ex his exemplis gvajaci antarthritica virtus haud certo aut in univerſum deduci poteſt, probabilis qvandoqve apparuit, in aliis autem prorſus nulla.

9. Diarrhoeæ dyſentericæ nonnullæ: qvidam 24 annos natus poſt ipecacuannam & rheum ſumſit electuarium antidyſenterium per ſex dies, verum dejectiones & dolor potius adaucta poſt ſepoſitum electuarium mox minuebantur & dein per decoctum album, mucilaginem gummi arabici potui admixtum

atqve

atqve animam rhei cum liqvore anodino minerali nuptam ſenſim in ſanitatem convertebantur. Altera jam ſextiduo ægrotans adhibebat ipecacuannam, rheum, ſolutionem mannato-oleoſam absqve decremento morbi, dein allatum electuarium per qvinqve dies, hinc dejectiones prorſus ceſſabant, verum ſurrexit dolor abdominis conſtans; emulſio camphorata ideo in uſum vocabatur, brevi inde ceſſabat dolor & alvus iterum fluebat modice laxa, per animam rhei ſupra laudatam cito in ordinem naturalem reducta. Alterum trigenarium decem diebus hoc fluxu modice laborantem cum adjuncto per biduum proximum dolore ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris Emulſio camphorata alternatim omni hora cum decocto albo intra paucos dies juvabat. Qvidam qvinqve diebus ægrotans cum dolore continuo regionis hypoſtaſtricæ qvaſi ab oſtaculo ibidem hærente ipecacuannam & rheum ſine juvamine jam ſumſerat; exhibita ſolutione mannato-oleoſa cum pauxillo ſalis alvus mox largiter exonerabatur & ſenſus ille obſtaculi ſimul cum dolore ceſſabat. Tres mitioris gradus ipecacuanna & rheo juvabantur. Qvatuor moriebantur; qvidam jam diu in noſocomio chirurgico moratus & ulceribus inveteratis afflictus die octavo exſpiravit. Alter lumbricum evomens nullis ſupra allatis nec geo urbano juvandus diem decimum morte

finivit; tertius ſextiduo ante introitum afflictus nec ullo remedio uſus laudata methodo incaſſum adhibita poſt ſingultum & excrementa viridia die decimo octavo exſpirabat; qvartus etiam qvinqve diebus in noſocomio remediis allatis tractatus octavo morbi die moriebatur. Dyſenteriæ ut in allatis exemplis, ita in univerſum tanta obſervatur diverſitas aut ob epidemiam variam, aut conſtitutionem ſingularem ægrotorum, ut meritò inter morbos curatu difficiles numerari qveat, mox unum remedium, mox alterum juvat, & mox nullum ſufficit, qvandoqve ſub inutili tentamine perditur tempus ad ſanationem forſan per alia posſibilem reqviſitum & opportunum.

10. Diarrhoea duodecim dierum apud feminam 34 annos natam per rhabarbarina ſedata oriebatur dein per qvatuordecim dies durans dolor femoris & genu ſiniſtri; hic qvatriduo proximo mutatus erat in tumorem circumſcriptum oedematoſum in interna parte femoris cum adjuncto dolore iſchii motum impediente; corpus præterea qvam maxime emaciatum & debile inveni; veſicatorio ſuræ applicito, intusqve camphoratis exhibitis poſt aliqvot dies tumor femoris durus reddebatur, ideoqve illi cataplaſma emolliens apponebatur, ſenſim hinc tumor decrevit & intra octo dies prorſus evanuit, ſub renovato dolore

cruris

cruris & aphtis lingvam occupantibus; illi igitur alterum veſicatorium admotum fuit, huic mel roſarum cum borrace veneta profuit, & ſummæ debilitatis ergo intus ſumtum decoctum corticis peruviani ſanitatem viresqve integre reſtituit. Tumoris hujus cauſam credo metaſtaticam materiem cataplaſmate emolliente ad reſorptionem diſpoſitam, & dein & per aphtas & forſan alias excretiones eliminatam.

11. Poſt partum naturalem undecimò præterlapſo die feminæ 33 annos natæ ſupervenit ſine cognita cauſa frigus febrile trium horarum, qvod triduo inſeqventi ad eandem horam revertebatur cum levi ſuccedente æſtu; poſt tertium paroxyſmum lac mammarum ſatis abundans ſubito diſparebat & mox ſurrexit dolor inſignis utriusqve genu atqve tumor, iam cum ad nos ægrota venit, octiduo durantes; genua inveni notabiliter & elaſtice tumida, crura oedematoſa, facultate motrice prorſus privata, appetitum proſtratum, alvum naturalem, pulſumqve celerem tenſum, vena jam qvater erat ſecta. Primo poſt introitum biduo ſc. 20mo. & 21mo. Auguſti adhuc qvater e vena ducebatur ſangvis phlogiſticus cum aliqvali levamine doloris genuum; alias arcani duplicati drachma trihorio exhibebatur cum infuſo juniperino; alvus hinc mòdice laxa & diureſis ſat larga fiebat; verum abs-

qve juvamine, die 30mo. Auguſti veſicatoria ſuris apponebantur absqve ulla mutatione morbi, die 3tio. Septbris loco arcani duplicati cremor tartari exhibitus ſine juvamine, hinc illius vices die 15to. Septembris ſubiit emulſio ammoniacalis, ſub diureſi inde adaucta genua imprimis dextrum parumper decreſcebant; die 20mo Octobris in circumſcripto loco genu ſiniſtri tumor rubens dolensqve provenit ideoqve cataplaſmate emolliente tractatus; die 28vo. abſceſſus genu per ſpontaneam rupturam largum pus e cavitate ipſius articuli effundebat; hoc fluere perrexit ad diem 16tum Novembris, tunc loco puris ſeroſum liqvidum largum ex ulcere genu ſtillabat usqve ad 3tium Decembris, ulcus genu dein ſponte conſolidabatur, & tantum rigiditas ſupererat cum levi tumore crurum; illa per diligentem uſum ungventi althææ genubus illitum & hic per ſqvillitica ſenſim juvabantur, ita ut noſtra prorſus reſtituta die 3tio Februarii noſocomio valedixerit. Memorabile hoc depoſitionis lacteæ exemplum nos docet, pertinacisſimum qvamvis morbum, tamen vinci poſſe; nonne verò etiam ex ulcere in cavitatem genu articularem penetrante, iterumqve feliciter conſolidato concludere liceat, hydrarthri ſanationem per puncturam eſſe posſibilem?

SEC-

SECTIONES.

12. Diarrhoea dolorifica apud juvenem 23 annorum ſponte decreſcente oriri ceperat tumor abdominis cum aliqvali dolore in regione ſupraumbilicali, atqve nonnullo oedemate crurum; pulſus valde debilis, urina parca erant, ſub progreſſu morbi abdomen magis magisqve intumuit, & doluit, variis fruſtra tentatis diureticis die vigeſimo poſt introitum per paracentheſin menſuræ ſex ſeri viridescentis turbidi educebantur, citò autem recruduit tumor, viresqve valde & indies debilitatæ morbi finem octavo poſt paracentheſin die per mortem fecerunt. Aperto cadaveris ventre multum ſerum effluxit, omnia viſcera ſana, excepto omento majori, qvod degeneratum erat in maſſam duram ſebaceæ indolis magnitudine & crasſitie manus præditam, retrorſum flexam & meſocolo agglutinatam, colon aſcendens valde expanſum, tranſverſum & deſcendens autem admodum contracta. Omenti hæc læſa conditio ſine dubio ortum habuit a prægreſſa ejusdem inflammatione, qvæ ut & ipſa diarrhoea a refrigerio ſeu conjecta huc verſus rheumatica materia primum ceperant initium; hydropica dein facta collectio communis eſt effectus omenti tali modo degenerati, compreſſioni vaſorum imprimis

lymphaticorum, indeqve impeditæ reſorptioni adſcribendus.

13. Hydrops apud militem 50 annos natum ſpirituoſis valde deditum ſpatio ſex hebdomadum adauctus & extremitates & abdomen tamen absqve diſtincta fluctuatione occupabat, tusſis & dyſpnoea ſimul aderant; decubitus tamen in omni regione corporis posſibilis, urina parca; tribus annis continuis hydropem paſſus nec ab eadem prorſus ſanatus fuerat; pulſum inveni irregularem & intermittentem; novem, qvibus in noſocomio vixit diebus, pectore maxime laborabat & purulenta ſpuebat. Aperto cadaveris abdomine largisſimum effluebat ſerum, inteſtina admodum expanſa partim rubra, hepar enorme qvam maxime induratum, lien etiam magnus durus; in pectore pulmo dexter ubiqve cum coſtis coalitus, qvoad poſticam partem inflammatus, illo educto verſus ſpinam dorſi invenimus corpus peregrinum oſſeum longitudine digiti & latitudine calami ſcriptorii gaudens, pleuræ inhærens, nec ullum nexum cum ipſis coſtis habens; cor inſignis magnitudinis ſangvine plenum; probabile eſt, allatam oſſificationem inflammationi pulmonis anſam dediſſe.

14. Fe-

14. Febre putrida gravi cum intercurrente hæmorrhagia narium apud juvenem 22 annorum decreſcente & fere devicta ſupervenit tuſſis cum ſputo leviter ſangvineo atqve maculis ſcorbuticis crurum, ſuccus citri atqve decoctum chinæ acidum huic ſtatui opponebantur, verum ſubitò ſupervenit gravis oppreſſio pectoris cum debilitate enormi, qvæ tertio die per mortem finiebatur; diſſecto thorace defuncti invenimus in cavitate utraqve admodum largam copiam ſeri ſaturatè ſangvinei, in pericardio itidem multum ſeri minus ſangvinei aderat. Diſſolutio humorum ſcorbuticæ indolis non rarò putridam febrem inſeqvens extravaſationis funeſtæ in cavitate pectoris ſine dubio cauſa fuit.

15. Dyſpnoea apud juvenem 23 circiter annos natum ſpatio integri anni magis magisqve adaucta erat, ita ut æger demum nec in dorſo nec in lateribus decumbere poſſet, tuſſis ſicca & palpitatio cordis inſignis a minimo motu ſimul juncta erant, hypochondrium utrumqve doluit, facies & crura qvatuordecim diebus proximis tumeſcebant cum diureſi parca; ſub uſu emulſionis ammoniacalis & poſt veſicatorium pectori applicitum urina & alvus per qvatuordecim dies melius fluebant cum decremento tumoris, tunc ſubito paroxysmo apoplectico corripiebatur cum inſeqven-

ti

ti paralyſi extremitatum lateris ſiniſtri, hæc poſt hirudines temporales, & veſicatorium nuchæ brevi tempore ceſſabant, diureſis autem poſthac largiſſima reddebatur, ita ut triduo elapſo omnis tumor evanuerit atqve decubitus & ſomnus in omni regione corporis poſſibilis eſſet; verum dyspnoea ſub motu, tuſſis ſicca & palpitatio remanebant, tumor itidem recrudeſcebat, genæ ſemper intenſe rubeſcebant cum oculis flaveſcentibus, nunc pillulæ ſaponaceæ, ſqvillitica, decoctum radicum graminis & taraxaci, repetita veſicatoria in pectore in uſum trahebantur, qvibus poſt tres menſes ita reſtitutus fuit æger, ut nil præter aliqvalem dyſpnoeam cum palpitatione cordis ſub motu accuſaret, ideoqve medicinam a 26 Februarii ad 13tum Martii ſeponeret; tunc poſt levem cephalalgiam aliqvot dierum enormis ſupervenit dyſponea cum debilitate inſigni pulſuqve vix ſenſibili, alteroqve die qvaſi ſuffocatus moriebatur. In aperto cadaveris abdomine invenimus hepar enormis magnitudinis intenſe rubrum ſub inciſione in variis locis ſangvinem fluidum effundens, lienem ſolito majorem duriſſimum, contenta pectoris ab immenſo hepate ſurſum compulſa, pulmones parvos ſanos, ſiniſtrum fortiter cum pleura coalitum; in pericardio ſerum rubellum, cor ipſum admodum expanſum, ſangvine fere fluido plenum. Num hic æger

hydro-

hydrothorace laboraverat? de certo morbi tempore illud affirmare admodum probabile eſt, qvo nimirum corpus intumuit & decubitus in dorſo intolerabilis erat, & hæc per ſe ſumta ſigna hydrothoracis ſunt, verum qvam maxime talia haberi poſſunt, dum per adauctam diureſin tolluntur, haud aliud enim impedimentum reſpirationis auferre valet urinæ excretio qvam ſeroſam collectionem. Cuinam verò cauſæ adſcribenda ſunt ſuperſtes dyſpnoeæ minor gradus, palpitatio cordis & dein cito funeſtus eventus? concretio unius pulmonis cum pleura pro parte incuſari poteſt, præcipua autem culpa enormi hepatis volumini tribui debet, utpote qvo & pulmones comprimi, & diaphragmatis motus impediri, & denuo actio cordis turbari poterant.

SEPTEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida 42 perſonas detinuit; 26 modice, reliqvas gravius afflictas. Aqud feminam 42 annos natam ſymptomatibus bilioſis per ſolitam evacuantem methodum devictis reſtitit ſingularis dolor tenſivus abdominis cum frigore, initio qvavis nocte recurrens,

rens, dein continuus cum insomnia molesta; variis aliis frustra adhibitis liqvor nervinus bihorio sumtus atqve pediluvium omni vespera juvabant; apud aliam 25 annos natam morbus initio speciem inflammationis abdominalis habuit, hac per venæsectionem & camphorata qvinto die devicta mox provenerunt biliosa symptomata, qvæ evacuatione debita licet instituta cito transibant in putrida gravia cum petechiis, hisce decrescentibus supervenit gravis pectoris oppressio cum sputo sangvineo, qvæ venæsectione duplici atqve mixtura acida tollebatur. Puella 28 annorum pedem dolentem & rubentem involutione in cannabi picea sanabat, qvo facto mox oriebatur sensatio dolorifica totius corporis jam per duodecim dies durans cum frigore & æstu alternatim recurrentibus, nec non reliqvis symptomatibus biliosis, præmissa emesi mox vesicatoria in suris applicui, morbus cito procedebat in veram putridam febrem cum stupore & debilitate insignis gradus atqve plenaria obauditione, die 21mo metastasis ad pectus facta fuit cum tussi & sputo mucoso denso; huic post octo dies successit tumor crurum, illiqve cito jungebatur status verè scorbuticus solitò modo sanatus; impuritati humorum a pede, ubi primum deposita fuerat, in massam sangvinis resorptæ tanqvam præcipuæ causæ hanc putridam febrem adscribere fas est.

Duo

Duo moriebantur, qvidam ob ſummam putrefactionem & ſphacelum lumborum excretione involuntaria in lecto adauctum & non juvandum, alter apoplexia tactus.

2. Inflammatorii morbi nonnulli; pleuritide octo laborabant, qvidam jam ſex diebus ægrotans gravi dolore pectoris dextri, dyſpnoea, tuſſi, ſputo mucoſo, pulſu celeri duro, atqve nonnullo ſtrepitu pectoris, ſimul ab initio aderant ſymptomata bilioſa; priori utpote graviori morbo methodum obtemperabam, ſangvis ter miſſus phlogiſticus, veſicatorium pectori, atqve kermes minerale alternatim cum emulſione camphorata ſub larga expectoratione qvandoqve per ſpontaneum vomitum promota ægrotum ſanabant; unica hoc morbo moriebatur jam ante introitum per ſex dies laborans dolore totius pectoris dextri, gravida hæc fuit, ſub morbo abortivit & die 12mo obiit. Abdominali inflammatione tres laborabant, gravisſime decubuit femina qvinqve jam ante introitum diebus afflicta dolore conſtanti & inſigni abdominis, obſtipatione flatuum & alvi nec non ſingultu ab initio, varia clyſmata jam applicita erant ſine effectu imo emeticum porrectum, primo die ter vena ſecabatur cum ſangvine phlogiſtico, altero toties inſtituta phlebotomia, & emulſio camphorata cum moſco interea exhibita fuit;

tertio

tertio ſ. ſeptimo morbi die ſtatus abdominis idem cum pulſu valde depreſſo tamen adhuc bis venam ſecui & veſicatorium abdomini applicui, 8vo die ſingultus rarior, abdominis dolor parum minor, nonnulli flatus ante meridiem abierunt, poſt meridiem retenti cum adaucto dolore, adhuc ſemel vena tuſa fuit, 9no die flatus bene abeunt cum minuto dolore, clyſmate oleoſo injecto excrementa dura cum inſigni levamine educebantur; ab hoc tempore ægrota convaluit, ſed per ſex inſeqventes dies clyſmate qvotidiano ad aperiendam alvum opus habuit. Caſu hoc diſcimus, venæſectionem ſub pulſu licet depreſſo non timendam eſſe, qvamdiu dolor urget; nec non clyſmata blanda licet repetita poſt dolorem debita medela debellatum, & diminutum, atqve ſub flatibus procedentibus apprime convenire, & tuta eſſe.

3. Febre puerperali afflictæ duæ e noſocomio puerperarum ad nos ducebantur: Altera 20 annos nata biduo poſt partum relapſo & pridie ante introitum correpta erat frigore tum inſeqventi æſtu, cephalalgia tranſitoria, gravisſimo dolore dorſi, & abdominis attactum haud ferentis, ſitiqve aliqvali, lochia bene fluunt, nullum lac in mammis aderat; primo die emeticum porrectum fuit cum effectu & veſpera clyſma injectum; hoc altero

morbi

morbi dies exhibui Syrupi e manna laxativi, olei olivarum ana ad cochleare majus bihorio, die 3tio alvus noctu aperta fuerat, abdomen graviter dolet & expanditur, dedi olei olivarum unicas duas cum syrupi altheæ uncia & kermis mineralis granis duobus bihorio cochleare majus, & abdomen inungitur linimento volatili, alvus qvinqvies fluit absqve levamine, pulsus celer depressus, die 4to nox insomnis, abdomen haud adeo expansum, pulsus magis elevatus valde celer, pulvis emeticus porrigitur hisce ægrotis mihi solitus sc. tartari emetici granum, radicis ipecacoannæ, sachari albi ana scrupulus, verum absqve producta emesi, alvi autem tripla purgatione, vespera tussis exsurgit cum sputo sangvineo sine dolore pectoris, nunc linctus oleosus absqve Kerme dabatur, die 5to nox cum somno bono absqve apertura alvi, dolor & tumor abdominis cessabant, verum scapula sinistra dolet, tussis mitior, attamen cum expectoratione sangvinea, die 6to nox inqvieta cum alvo ter aperta & phantasiis, dolor scapulæ minor, abdomen iterum dolet, pulsus mollis non celer; die 7mo alvus noctu qvater aperta cum dejectione stercorea, gena dextra tumet, dolet & rubet, die 8vo noctu accessit dolor pectoris & scapulæ sinistri lateris, alvus haud aperta, abdomen non dolet, pulsus valde celer, venæsectio bis instituitur cum

educto ſangvine phlogiſtico, emulſio camphorata omni hora alternatim cum linctu oleoſo exhibetur, alvusqve qvater aperitur; die 9no lateris dolor minor, bis adhuc mittitur ſangvis, alvus ſemel fluit, die 2imo alvus noctu bis aperta, dolor pectoris fere evanuit, pulſus non amplius febrilis, poſthac cito ægra convaluit, continuans linctum ſolum ter indies & ſana noſocomio valedixit. Altera 23 annos nata mox poſt abſolutum partum naturalem corripiebatur frigore brevi, elapſis 24 horis aggreditur abdominis medii dolor, aliqvot abhinc horis porrigebatur emeticum cum vomitu parco absqve levamine, qvinimo dolor increvit cum intumeſcentia notabili abdominis, 3tio die repetitum fuerat emeticum etiam absqve juvamine, nunc ad noſocomium venit, præter allata cephalalgiam occipitalem ab initio præſentem; ſitimqve inſignem qverens, & lochia ſub aggreſſo dolore mox ceſſaviſſe referens; pulſum inveni celerem tenſum, alvus hodie valde laxa erat, linctum oleoſum cum Kerme minerali præbui bihorio, die 4to nox cum ſomno & alvo bis aperta, dolorem abdominis a linctu citari qverebatur, hinc ſepoſito Kerme minerali ſumſit linctum ex olei partibus duabus, ſirupi altheæ parte una compoſitum, die 5to alvus ſæpe aperta, abdomen minus expanſum cephalalgia ceſſavit, emulſio camphorata omni hora porrigi-

tur

tur, die 6to abdominis dolor & tumor ceſſant, alvus ter aperitur cum dejectione ſtercorea gena ſiniſtra tumet, rubet & urit, die 7mo ſomnus bonus, appetitus redit & ægra cito convaluit in ſanitatem integram. Uterqve hic caſus utilitatem methodi Doulcetti per emetica & linctum demonſtrat; in prima ægrota metaſtaſis ſine dubio ex abdomine in pectus tranſpoſita fuit; ſingularis in ambabus incidens genæ affectus boni, potius qvam mali ominis reperiebatur.

4. Dyſenteria qvindecim decumbebant; horum octo facta per ipecacuannam & dein pulverem rhei evacuatione ſub uſu decocti albi, ſumtaqve anima rhei uncia media cum liqvoris anodyni mineralis drachma ad guttas ſexaginta ter indies ſanabantur. Apud qvendam jam qvinqve diebus ægrotantem dolor aderat conſtans regionis hypogaſtricæ, qvi per clyſma oleoſum, ſolutionem mannato-oleoſam, alvumqve largiter partim cum excrementis duris fluentem intra biduum ceſſabat, cito autem rediit jam cum teneſmo inani, nunc vena bis ſecabatur, emulſio camphorata intus & linimentum volatile extus, nec non clyſma oleoſum in uſum trahebantur, qva methodo & dolor & alvi fluxus intra duos dies tollebantur. In puero 8 annos nato poſt fluxum ipecacoanna, rheo, & decocto albo

diem 13tium ſedato, oriebatur dolor abdominis cum obſtipata alvo, emulſio camphorata dolorem hunc ſuſtulit cum reverſo alvi fluxu naturali. Apud alteram ſex diebus ægrotantem expanſio notabilis dolorifica abdominis dyſenteriam comitabatur, vena ideo bis ſecta & emulſio camphorata alternatim cum decocto albo præbita affectum illum abdominis biduo fugabat, nunc pulvis rhei & dein anima rhei cum liqvore anodino atqve decoctum album ſenſim fluxum minuebant, verum nonnulla non dolorifica laxitas remanebat cum adjuncto tumore œdematoſo crurum; cui utriqvé malo profuit compoſita mixtura ex eſſentiæ corticis caſcarillæ, aurantiorum, ſpiritus ſalis dulcis ana ad guttas ſexaginta ter indies ſumta. Hæc exempla me judice monſtrant, phlogoſin dyſenteriæ qvandoqve adjungi, aut ab ejusdem initio aut ſub illius progreſſu, atqve antiphlogiſtica methodo juvari. Vir 25 annos natus invadente dyſenteria mox ipecacuannam ſumſit, inſeqventi die radicis rhei ſcrupulos duos absqve levamine, 3tio die dolor admodum exacerbatus circa umbilicum inflammationis metum mihi fecit, emulſionem camphoratam alternatim cum anima rhei præſcripſi & inunctionem abdominis per linimentum volatile, die 6to ob morbi eundem ſtatum rheum repetii, verum etiam ſine levamine; die 7mo gravis oppreſ-

ſio

ſio cardiæ accuſabatur & lingva valde ſordida erat, hinc ipecacuanna repetebatur cum largo effectu, die 3tio alvus rarior, dolor ceſſat, & æger ſub uſu animæ rhei cum liqvore anodyno, atqve decocti albi usqve ad 12mum diem convaleſcere perrexit, tunc nova exacerbatio doloris ſurrexit cum fluxu ſangvineo ad diem 15tum durans; repetii tunc ipecacuannam cum effectu & minuto morbo ita tamen, ut alvus freqventer, ſed absqve dolore flueret, qvas morbi reliqvias pulvis radicis gei urbani omni hora alternatim cum decocto albo præbitus tollebat. Hic caſus me docet repetitionem ipecacuannæ proficuam contra pertinacem dyſenteriam, etiamſi ſat diu protractam. Tres moriebantur ſc. femina jam qvinqve diebus ante introitum ægrotans, die 6to dolor & ardor cardiæ inſignis acceſſit, 7mo ſingultus cum excretione viridi, & 13tio die poſt varia ſine ſpe tentata ipſa mors; altera octiduo iam afflicta cum ſingultu & pulſu debiliſſimo decimo obiens; tertia qvintiduo, cum ad nos venit, & dyſenteriæ & putridæ febris ſymptomatibus laborans cum ſingultu & pulſu debiliſſimo vitam tamen ad diem 10mum morbi protraxit.

5. Dyſpnœa conſtans per intervalla exacerbata, æqve moleſta ſub omni corporis ſitu, ſiveqve corpus moveretur; ſive qvieſceret,

ſceret, virum trigenarium poſt refrigerium ſubitò invaſit, nullam tuſſim aut dolorem pectoris ſed intercurrentem dolorem artuum ſibi junctum habens; liqvor nervinus ad guttas viginti bihorio dabatur, altero die dolor pectoris ſiniſtri accuſabatur, 3tio die dyſpnœa minor, ſed palpitatio cordis moleſtabat, 6to die omnis pectoris affectio ceſſat vel rectius tranſiit in cephalalgiam vertiginoſam; veſicatorium nuchæ applicitum hoc novum malum mox abegit absqve reverſione alterius. Affectionem hanc merito rheumaticam æſtimavi & ob originem e refrigerio & ob ſubitum illius aggreſſum.

6. Oppreſio pectoris moleſta, tuſſis ſicca, raucedo poſt ſcabiem ſub febre intermittente exſiccatam oborta iam per plures menſes virum 24 annorum afflixerant & prorſus emaciaverant; ſub uſu oculorum cancrorum præparatorum, florumqve ſulphuris ana uncia dimidia, camphoræ granis decem ad cochleare minus ter indies, atqve juſculi ſecalini ſcabies provenire cepit cum levamine, dein balneum magnum in uſum trahebatur atqve pilulæ pectorales loco pulveris, veſicatorium qvoqve amplum pectori applicitum fuit, hinc ſcabies adhuc largius erupit, itaqve vir deſperatæ ſanitatis poſt qvatuor menſes ad integram virium reſtitutionem perductus fuit.

fuit. Pectoris constitutio phthisica per materiem scabiosam inducta hoc casu sanabilis declaratur, præsertim, qvamdiu suppuratio pulmonum nondum ex hac causa progenita est, rarius accidit talis eventus, si æger jam pus expectorat.

SECTIONES:

7. Dolore abdominis constanti jam novem dierum laborabat vir 44 annos natus, initiò circumscripto in regione ingvinali dextra, ante sex dies extenso, totum abdomen cum notabili dolorifica expansione occupante, sub morbi integro decursu alvus naturaliter qvotidie semel aut bis fluxerat, situm & anorexiam qverebatur æger, pulsum vix perceptibilem & extremitates frigidas cum sudore pingvi inveni, camphorata intus & extus applicui; altero s. 10mo die singultus jungebatur, alias status morbi idem d. 13tio cum adjuncta diarrhœa, & 14to morte finitus. aperto cadaveris abdomine mox vidimus peritoneum ubiqve imprimis in latere dextro passim rubrum, passim nigrescens, materie ichorosa obductum, intestina admodum expansa simili materie obsita, nullibi autem inflammata; in cavitate pelvis ichor pessimi odoris effusus erat. Morbum hunc, qvem sectio inflammationem peri-

tonei esse monstrabat, talem qvoqve vivente ægroto credidi, atqve e sede doloris extensa, abdominis expansione, atqve alvi fluxu non impedito concludebam.

OCTOBER.

1. Febris bilioso-putrida 53 personas detinuit, qvarum 26 graviter decumbebant. Duo per vomitum spontaneum plurium dierum evacuati, tamen remedio emetico ad duas vices repetendo opus habuerunt. Qvidam qvatriduo ægrotans simul ab initio laborabat dolore punctorio pectoris sinistri constanti, pulsus erat celer parum tensus, per duplam venæsectionem educto sangvine non phlogistico dolor cessabat, biliosus dein superstes status solitis evacuantibus tollebatur. Inter gravius affectos nonnulli diarrhœa debilitante decocto corticis peruviani cum liqvore nervino domata laborabant. Apud qvandam tumor notabilis œdematosus unius cruris diuturnus metastasin constituit, in altero abscessus plures unius femoris matèriam depositam includebant; visus post morbum valde debilitatus apud alium observatus vesicatorio in nucha & spi-

& ſpiritu lavendularum compoſito diligenter prope oculos admoto juvabatur. Octo moriebantur, qvidam phthiſi iamiam ante hunc morbum laborans, altera hæmorrhagias, & per expectorationem & per alvum largas, remediis qvidem ſedatas, attamen debilitatem funeſtam inducentes patiebatur; in puella 9 annos nata die 23tio oriebatur tumor ſphaceloſus in gena dextra, nullo remedio compeſcendus, latius ſerpens totam genam occupans & per illam penetrans, demum miſero modo funeſtus; qvidam antiſepticis licet optimis & copioſisſimis utens tamen ſpatio qvatuor hebdomadum qvaſi putreſcere perrexit cum fœtore pesſimo ex ore, corpore & excrementis communiter liqvidis ſpirante; reliqvi jam ad ſummum debilitatis gradum ante introitum provecti brevi poſt introitum tempore exſpirabant.

2. Inflammatorii morbi nonnulli, partim pectoris benigni, partim faucium, in tribus cum adjuncto exanthemate ſcarlatinoſo; hac occaſione explorando fauces in juvene 20 annorum inveni uvulam manifeſto bipartitam naturaliter ſc. talem absqve ullo loqvelæ aut deglutitionis impedimento.

3. Cephalalgia arthritidis adinſtar mox unam, mox alteram partem capitis & faciei occu-

pans puellam 28 annorum menſis ſpatio miſere cruciabat, interea veſicatoria tam in brachiis qvam nucha citò conſolidata, camphorata, ſolutio gummi gvajaci, pediluvia haud alio cum effectu adhibita erant, qvam qvod dolor qvaſi periodicus ad aliqvot horas nocturnas notabiliter remittens redditus fuerit, adhibita ideo larga copia corticis dolorem in continuum vertebat; nunc demum repetebantur veſicatoria in brachiis indeqve facta ſuppuratio per octo dies ungvento baſiliconis pulvere cantharidum mixto conſervata fuit, itaqve illud rebelle moleſtiſimum malum vincebatur.

4. Dyſenteria jam undecim diebus laboravit puella 21 annos nata cum ſiti inſigni, excretione, ut mox obſervavimus, fere prorſus ſangvinea, ſingultu per ultimum nycthemerum adjuncto pulſuqve debili celeri; perſvaſus, nulla remedia aut ab aliis, aut a me ipſo contra dyſenteriam adhibita præſenti ægrotæ ſufficere, aliud novum tentare auſus fui ſc. mixturam e ſpiritus vitrioli ſeſqvidrachma, aqvæ ſimplicis unciis novem, mucilaginis gummi arabici unciis duabus compoſitum, cujus cochlearia duo majora omni hora porrigebantur. die 13tio dolor parum minutus, excretio rarior adhuc valde ſangvinea, die 14to adhuc notabilius morbi decrementum, dejectio par-

partim ſtercorea, ſingultus ceſſat, die 15to alvus modo ter aperta, dolor prorſus ſilet, die 17mo, qvia morbus jam absqve periculo videbatur, dedi animam rhei cum liqvore anodino, verum alvus mox laxior fiebat cum excretione virideſcenti, repetii ideo laudatam mixturam bihorio, infeqvente die excrementa naturalia apparuerunt; ſecuritatis ergo proinde continuata fuit illa medicina ad diem 28vum, dein roborandi gratia eſſentia corticum caſcarillæ, & aurantiorum cum liqvore anodino exhibita fuit per paucos dies, & ægrota prorſus ſanata noſocomium reliqvit.

5. Spaſmus abdominis inveteratus, proximo anno exacerbatus, freqventer recurrens, ſenſum conſtrictorium & veram conſtrictionem abdominis, nec non lumbaginem atqve immobilitatem & rigiditatem lingvæ ſecum ducens, ad plures horas protractus atqve tremore interno finiri ſolitus feminam 49 annos natam moleſtabat; menſtrua & reliqva naturalia erant; tæniæ fruſta ante aliqvot annos evacuata fuerunt; liqvor nervinus bihorio ſumtus & clyſma freqvens ex aſſa fœtida adeo juvabant, ut poſt 16 dies ſe prorſus bene habens femina noſocomio valedixerit.

6. Dolore abdominis præſertim cardiæ oppreſſorio puella 20 annos nata ſeptem hebdoma-

domadis laborabat conſtanti, a preſſione externa increſcenti cum anorexia, alvo ſegni, non niſi per clyſmata aperta, qvinqve ſeptimanis adfuerat vomitus fere omnium ingeſtorum, tamen per aliqvot dies ſilens, nec non ſingultus freqvens & ſapor malus; menſtrua ſub morbo abfuerant. Cremor tartari alternatim cum anima rhei in uſum tradebantur, alvus hinc qvodammodo aperiebatur, vomitus tamen intercurrebat, poſt decem dies brachia & biduo elapſo ſimul extremitates inferiores ſtupida, torpida & motus incapacia fiebant. Alvus adhuc erat ſegnis cum ſapore putrido; præſcripſi mixturam e ſalis mirabilis Glauberi unciis duabus, aqvæ menthæ unciis octo, animæ rhei uncia, ad cochlearia duo majora bihorio, vel rarius juxta effectum adhibendam, qva per octo dies ingeſta alvus qvotidie modice laxabatur, indeqve affectio abdominalis tollebatur, verum paralytica membrorum debilitas permanebat. Intus nunc in uſum trahebantur, initio liqvor nervinus cum pulvere eccoprotico mane & veſpera, dein eſſentia ſtibii cum ſpiritu lavendularum compoſito; extus veſicatoria diu ſuppurantia, cucurbitæ ſiccæ, urticatio, balneum ſtillatitium, frictiones partim cum panno laneo, partim cum eſſentia cantharidum camphorata, qvibus demum poſt qvinqve menſes vires membro-

brorum integræ & ſanitas reſtituebantur. Colica hæc nervoſa nuncupari meretur.

7. Nondum menſtruata puella 18 annos nata qvinqve menſibus valetudinaria fuit ob cardialgiam moleſtam, lumbaginem freqventem, dolorem vagum artuum & capitis, cum intercurrente vomitu, expanſione fere conſtanti & notabili abdominis, alvo ſemper absqve remediis clauſa, motibusqve febrilibus irregularibus; poſt permulta incaſſum facta tentamina clyſma ex aſſa foetida paratum omni veſpera injiciendum præſcripſi & intus dein tincturæ martis mynſichti partes duas, ſpiritus ſalis dulcis partem unam ad guttas ſexaginta ter per diem; cum prius remedium decem diebus & poſterius qvinqve diebus adhibitum fuerit, menſtruus fluxus provenit ad plures dies copioſus continuans tanta cum euphoria, ut ægrota noſocomium reliqverit. Inter emmenagoga remedia ſine dubio clyſmata primo loco ponenda ſunt.

8. Tumore oedematoſo crurum in foemina 30 annos nata poſt febrem intermittentem orto & remediis qvibusdam fugato oriebatur dolor junctarum imprimis inferiorum, vagus, noctu exacerbatus, ſex jam hebdomadis durans, cui per qvatuordecim dies junctæ erant maculæ numeroſæ rubræ elevatæ

in

in brachiis, nec prurientes, nec ſuppurantes; præſcripſi antimonii crudi, oculorum cancrorum præparatorum ana ſcrupulum mane & veſpera ſumendum, atqve infuſum e raſuræ ligni ſaſſafras, baccarum juniperi ana uncia medio, foliorum ſennæ drachmis duabus, ſeminis feniculi drachma; poſt octo dies maculæ allatæ evanuerunt, earumqve locum ſubierunt ſymptomata ſcorbutica, remediis ſolitis antiſcorbuticis devicta.

9. Singultus in puella 25 annos nata absqve ullo alio ſymptomate & ſine cognita cauſa jam octo diebus fere continuus aderat, pulvis ex refrigerantis uncia, moſci orientalis granis qvatuor bihorio ſumtus atqve veſicatorium cardiæ applicitum paucis diebus tollebant hoc incommodum.

10, Febre puerperali qvinqve afflictæ e noſocomio puerperarum ad nos ducebantur. Qvædam 28 annos nata tertio poſt partum die ſentiebat dolorem circumſcriptum in regione uteri, ſangvine e vena mox ducto dolor ad totum abdomen extendebatur, porrigitur ideo mox emeticum cum effectu & levamine, in noſocomio tunc ſuſceptæ & nullum lac in mammis habenti dedimus linctum oleoſum ex olei olivarum partibus duabus ſyrupi e manna laxativi

tivi parte una ad cochleare majus trihorio, 2do morbi die alvus bene aperitur cum decremento doloris & expanſionis abdominalis, die 3tio alvus magis laxatur & omnis affectus abdominalis ceſſat, poſteaqve ægra paucis diebus prorſus convaluit; altera 25 annos nata triduo ante partum urinam haud miſerat, unde ortus fuerat dolor moleſtus regionis hypogaſtricæ cum ſtranguria demum mox ante partum per catheterismum ſoluta; finito partu mox ſurgebat dolor gravis abdominis cum expanſione, mammæ lacte diſtentæ collabuntur, lochia bene fluunt; pulſus erat celer tenſus; primo die porrigitur emeticum absqve effectu, biduo inſeqventi linctus ſupra memoratus in uſum trahitur, unde alvus laxata fuit & abdomen detumuit excepto ipſo utero valde diſtento, qvarta nocte ægra moriebatur, verum propter impedimentum, qvod non recordor, haud diſſecta fuit.

SECTIONES.

11. Poſtridie a partu femina 30 annorum corripitur frigore cum inſeqventi dolore gravi abdominis, lochia bene fluunt, mammæ lacte carent; qvadrante horæ poſt aggreſſum morbi emeticum exhibetur cum vomitu largo & levamine, dein clyſma & poſtea linc-

tus

tus oleoſus, 2do die emeticum repetitur & dein linctus; 4to die ad noſocomium venit, alvus per continuatum linctum laxari pergit absqve levamine, dolor abdominis 5to die ceſſat, mors tamen 6to die ſub motibus convulſivis morbum finivit. Aperto abdomine hepar ubiqve cum diaphragmate coalitum, uterus nondum debite contractus extus parum rubens qvoad internam ſuperficiem niger & mollis, tuba fallopiana dextra rubra nigreſcens, in pectore uterqve pulmo cum pleura accretus.

Altera 22 annos nata qvinta poſt partum hora corripitur frigore cum inſeqventi dolore notabili & expanſione totius abdominis, emeticum porrigitur cum levamine, clyſma altero die bis injicitur; tertio die emeticum repetitur, tunc ad nos venit, nullum lac in mammis aderat, linctus ſolitus præſcribitur, die 4to dolor abdominis ceſſat, bilioſa evomit, pulſus celer tenſus, alvus haud aperta, clysma injicitur; die 5to abdomen adhuc tumet, alvus laxatur, ſingultus intercurrit cum vomitu, dolor hypocondrii dextri accuſatur, qvalis ſtatus permanebat ad diem mortis ſc. ſeptimum. Aperto cadaveris ventre ſtomachus valde expanſus apparet, nec non inteſtina tenuia ſimul rubentia, veſica fellea turgida loco bilis ſerum flaveſcens continuit, materia alba condenſata conſiſtentiam membranæ

branæ fere habens paſſim inteſtinis adhæſit, præſertim uterum & tubas fallopianas obduxit, uterus ipſe qvoad internam ſuperficiem nigreſcebat; in cavitate abdominis nonnullum ſerum extravaſatum qvoqve inveniebatur.

12. Putrida febre ut nobis referebatur, 19 diebus ægrotans femina 24 annos nata, inſeqventi ſc. 20mo die incidit in ſtuporem lethargicum cum aphonia, qvi poſt varia incaſſum adhibita die 28vo per mortem finitus fuit; aperto cadaveris cranio vaſa piæ matris ſangvine valde turgida, ventriculi imprimis lateralis dexter copioſo ſero pleni, pia mater medullam oblongatam obducens a nervis opticis ad medullam ſpinalem usqve oedematoſa, notabiliter craſſa, copioſusqve ſangvis extravaſatus fluidus in baſi cranii reperiebantur.

NOVEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida admodum freqvens, nec minus maligna 75 perſonas, plurimas, præſertim 43 graviter afficiens; particulares dolores aut capitis, aut pectoris aut artuum communiter annexi erant; graviores

meritò gravisſimos nuncupo caſus, utpote & debilitas, & putredo, & congeſtiones imprimis ad caput jungebantur; apud ſeptem metaſtaſis ad pectus ſalutaris morbum ſolvebat; in qvodam hæc erat inflammatoria die 19no ſeſe exſerens cum dolore pectoris dextri pulſuqve celeri tenſo, vena ter ſecta & dein applicitum veſicatorium juvabant; in altero per metaſtaſin intumeſcebat tota extremitas inferior dextra, initio ſimul dolens, ne regrederetur materies, caute hoc malum tractabam, primo ſc. tempore per cremorem tartari mane & veſpera atqve interdiu adhibitam mixturam camphoratam acidam, roboratis deinceps viribus ſcillitica propinabantur qvibus demum poſt duos menſes tumor diſſipatus fuit. Undecim moriebantur potisſimum ob enormem ad encephalum congeſtionem lethargum vel apoplexiam producentem, alii ob metaſtaſin ad pectus cum ſputo impedito; cuidam die 24to convaleſcere apparenti ſupervenit tumor utriusqve genæ in ſphacelum letalem finitus.

Febres ſcarlatinoſæ paucæ benignæ indolis.

2. Catharrhalis febris cum oppreſſione totius pectoris modica, nonnulla dyſpnœa & tuſi apud juvenem 22 annorum per

tres

tres hebdomadas duraverat; vena ſemel ſecta & exhibita emulſione camphorata ſub accedente ſudore largo pectus intra octo dies reſtitutum fuit, & appetitus perditus rediit, verum ſudor ille largus nocturnus ſub increſcente & demum optima valetudine continuabat, nec cortici nec infuſo ſalviæ, nec va iis diureticis cedens, adeo ut æger ſub fruſtraneo hoc tentamine per tres hebdomades in noſocomio moratus & alias ſanus atqve robuſtus diutius retineri neqviverit, ideoqve monitus de cautione e refrigerio nos reliqvit. Excretionem talem licet inſolitam & apparenter præternaturalem, tamen ut naturæ ſalutare opus, qvamdiu ſanitas reliqva viget, conſiderare nec intempeſtiva arte turbare licet.

3. Pleuritici pauci, inter hos vir 38 annos natus triduo ægrotabat dolore pectoris dextri cum ſputo leviter ſangvineo, poſt qvinqve factas venæſectiones, indeqve minutum dolorem die qvarto veſicatorium lateri appoſitum fuit, biduo inſeqventi dolor ſilet, ſeptimo autem iterum ſentitur ſat gravis & majoris qvam antea extenſionis, qvinqvies venam ſecare adhuc opus erat & emulſionem camphoratam alternatim cum infuſo ſenegæ adhibere, qvibus dolor ſenſim decreſcendo demum ceſſavit. Præmaturam in hoc caſu veſicatorii applicationem factam fuiſſe credo,

unde dolor tantum pro tempore ſopitus haud verò ſublatus fuit; communis mihi ideo eſt regula, veſicatorium modo ſexto vel ſeptimo die applicare, ne dolor internus ſenſatione externi obſcuretur, itaqve venæſectio a priore indicata injuſtò omittatur.

4. Rheumaticus dolor artuum ſuperiorum in puella 26 annos nata tranſibat in abdomen, ibidemqve tumorem durum dolentem in regione ingvinali dextra cum alvi plenaria obſtipatione ſubitò producebat, poſt venæſectionem ſeptuplam & adhibita camphorata partim cum lacte ſulphuris alvus aperiebatur, & dolor notabiliter remittebat, demum tamen poſt veſicatoria in ſuris applicita, itaqve dolorem ad extremitatem inferiorem dextram derivatum prorſus tollebatur.

5. Arthritis moleſta pertinax virum 36 annorum per plures menſes afflixit, mox unum, mox alterum membrum occupavit, motusqve impotentiam ſecum duxit; in noſocomio qvæcunqve remedia antarthritica, camphorata, eſſentia ſtibii, gummi gvajacum, balnea, & demum ſalivatio per mercurium producta adhibebantur, qvibus morbus demum ad iſchium dextrum limitatus fuit, ibidemqve fixus redditus; a peregrino tunc medico noſocomium inviſente qvaſi ſpecificum

con-

contra iſchiadem commendata, ideoqve apud noſtrum in uſum tracta fuit ſeqvens methodus: inuſtio ſc. per ferrum ignitum huic operationi adaptatum fiebat in interſtitio inter minimum & alterum metatarſum pedis affecti lateris, poſt aliqvot elapſas horas ambulatio antea impedita qvodammodo peragi poterat, atqve poſt ſex dies iſchium prorſus reſtitutum & ambulatio naturalis erat, ulcus interea primò ſerum ſtillabat per decem dies, dein ichorem foetidum cum tumore & rubore pedis, tandem intra paucos dies conſolidatum, illæſa reliqva ſanitate; operationem hanc poſtea inſtitui verum absqve juvamine; illam ideo tamen haud contemnendam declaro, ſed potius in caſu ad omnia alia rebelli tentandam.

6. Dyſenteria duo laborabant, alter leviori gradu per rheum ſanatus, altera multo gravius jam novem diebus afflicta cum excretione admodum freqventi mucoſa ſangvinea atqve notabili dolore abdominis, emeticum jam bis ante introitum porrectum erat; mixturam e ſpiritus vitrioli ſeſqvidrachma, aqvæ d. menthæ unciis novem mucilaginis gummi arabici unciis duabus confectam ad cochlearia duo majora omni hora, morbus mox inde decrevit, & intra ſex dies ad illum terminum, ut modò qvater nycthemero & absqve dolore alvus fluxerit, dein eſſentiæ

corticis caſcarillæ, aurantiorum ana partes duæ, liqvoris anodini mineralis pars una ad guttas ſexaginta ter per diem roborationis ergo per aliqvot dies porrectæ ſanitatem integram reddebant. Hoc alterum exemplum & teſtimonium eſt efficaciæ ſpiritus vitrioli contra dyſenteriam, cujus uſus, qvatenus mihi innoteſcit haud antea ab ullo medico factus eſt; deſperatus caſus in prægreſſo menſe allatus me ad novum commovit arripiendum remedium, & actione validum atqve eatenus gravitati morbi æqvale, & qvoad dotes, antiſepticam ſc. & adſtringentem naturæ morbi conveniens.

7. Partu perfecto ante novem hebdomades femina 22 annos nata mox afficiebatur tumore œdematoſo cruris dextri, qvo poſt qvatuor hebdomadas ſponte evanido & lacte mammas eodem tempore relinqvente ſupervenit tuſis cum ſputo ſangvineo, octo diebus continuis freqventer reverſo, huic tunc ceſſanti ſucceſſit jam tribus ſeptimanis durans expanſio notabilis dolorifica totius abdominis imprimis poſt ingeſtos cibos & ſub depoſitione alvi moleſtans, alvus erat naturalis, lingva ſordida; nonnullis diebus ſapor malus cum anorexia; qvatriduo primo poſt introitum vena ter ſecta & mixtura camphorata acida adhibita fuit, unde abdominis affectio tollebatur,

tur, ſymptomata bilioſa, qvæ tamen ſupererant, per emeticum & dein laxans remedium auferebantur; Haud improbabile eſt materiæ lacteæ reſorptæ & primum ad pectus, dein ad abdomen directæ morbi noſtri ſymptomata adſcribere.

8. Febre puerperali ſeqventes laborabant:

a. Femina 27 annos nata pridie ante partum febre anginoſa corripitur, partu finito ſentit frigus & mox inſeqventem dolorem abdominis tamen inconſtantem & ſemel vena ſecatur, altero die ad nos venit, contra anginam maxime urgentem venæſectio bis & camphorata adhibentur cum levamine faucium, 3tio die dolor abdominis gravior cum intercurrente vomitu, mox emeticum porrigitur & dein clyſma cum effectu, 4to die linctus ſolitus bihorio exhibetur, 5to die alvus ſæpe aperta, abdomen expanſum ejusdemqve dolor præſertim in latere dextro, pulſus durus, per duplam venæſectionem educitur ſangvis phlogiſticus & emulſio camphorata ſolum adhibetur, die 6to ſymptomata eadem & adhuc vena bis tunditur, die 7mo expanſio abdominis ceſſavit, aliqvalis dolor ſupereſt, alvus haud aperta, adhuc ſemel phlebotomia inſtituitur & clyſma in

uſum trahitur, die 8vo omnis dolor evaneſcit & ægrota poſtea convaluit.

b. Alia 30 annos nata ante undecim dies peperat, tertio poſt partum die ortum erat frigus, & dein dolor gravis totius abdominis cum ejusdem expanſione, nullum lac in mammis aderat, bis alternis diebus porrecto emetico, atqve abdomine per linimentum volatile inuncto lac ad mammas redierat, & abdominis affectio ceſſaverat, verum inſurrexerat jam qvatuor diebus durans dolor gravis punctorius, tamen inconſtans pectoris cum dyſpnoea & tuſſi ſicca, alvus ultima nocte per linctum ſolitum ter purgata erat, pulſum inveni celerem tenſum, ſangvis ideo bis mittebatur phlogiſticus & emulſio camphorata dabatur, die 9no morbi tuſſis mitior, pulſus idem, multum lac in mammis, repetebatur venæſectio, die 10mo dolor & affectio pectoris ceſſant excepta levi tuſſi facile diſſipata.

c. Foemina 32 annos nata mox abſoluto partu ante octo dies correpta fuerat frigore cum inſeqventi æſtu, cephalalgia, dolore inſignis abdominis, emetica aliqvoties repetita erant, indeqve loco dictorum ſymptomatum jam qvatuor diebus aderat tumor notabilis dolens utriusqve cruris, abdomen valde expanſum haud dolens inveni, nullum

lac

lac in mammis adfuerat, ſed lochia bene fluxerant; linctum oleoſum præbui, die 9no antibrachium ſiniſtrum valde tumet & dolet, deliriŭm accesſit die 10mo per apoplexiam lethalem finitum.

d. Apud alteram 26 annos natam tertio poſt parum die dolor & expanſio abdominis ſurgebant, poſt qvatuor dies emeticis fugata, ſed ſucceſſerat dolor hypochondrii ſiniſtri iam ſeptem diebus durans cum tuſſi moleſta, lac in mammis non adfuerat, pulſum inveni celerem tenſum, venæſectio, veſicatorium dolenti loco applicitum, & dein ob debilitatem decoctum corticis peruviani porrectum nil effecerunt, ſextum ab introitu ſive 17mum diem morbi mors finivit, prægreſſo ſtupore notabili.

e. Altera 27 annos nata ante qvinqve dies peperat, elapſis 24 horis ſupervenit grave frigus cum inſeqventi dolore abdominis & expanſione, emeticum porrectum erat absqve juvamine, nullum lac in mammis adfuerat, lochia bene fluunt, pulſum percepi celerem tenſum; triduo ſeqventi e vena qvater mittebatur ſangvis phlogiſticus & emulſio camphorata dabatur alternatim cum linctu ſolito ſine emolumento, die 9no puſtulæ multæ ſero plenæ in facie erumpunt, die 10mo

lingva aphtoſa, tuſis moleſta cum ſputo puriformi, qvod ſenſim difficilius redditum tandem die 20mo cum letali eventu prorſus impediebatur. In his tribus exemplis ſat manifeſtum eſt, metaſtaſin materiæ lacteæ vel ad caput vel ad pectus mortis cauſam fuiſſe.

SECTIONES.

f. Foemina 24 annos nata octiduo abhinc peperat infantem mortuum, qvo facto mox ſentiverat dolorem femoris ſiniſtri, eodem die mutatum in dolorem totius abdominis cum expanſione, bis emeticum præbitum fuerat absqve effectu, alias linctus oleoſus cum alvi inde producta laxitate, abdomen æqvabiliter expanſum inveni, lingvam aphtoſam, pulſum valde celerem, nullum lac in mammis, lochia ab initio & adhuc fluentia, tribus in noſocomio diebus vixit, linctum allatum adhibens, & ſub delirio gravi moriebatur. Secto cadaveris ventre vidimus ſtomachum & inteſtina valde expanſa, materia glutinoſa ubiqve obducta, & ſibi invicem adhærentia, inteſtina in variis locis, peritoneum atqve uterus colorem rubro-nigreſcentem habebant.

g. Ul-

g. Ultima altero poſt partum die incidit in hanc febrem initio cum frigore, & dein dolore atqve expanſione abdominis jam biduo durantem, absqve lacte in mammis ſed cum lochiis bene fluentibus; tusſis præterea trium hebdomadum aderat, cui die introitus dolor punctorius pectoris dextri junctus erat cum pulſu nunc celeri tenſo, emulſio camphorata alternatim cum linctu oleoſo in uſum trahebatur, & ſangvis e vena mittebatur phlogiſticus, die 3tio ob ſtatum eundem iterum vena ſecabatur, pulſus inde admodum deprimebatur, & nulla morbi mutatio fiebat ad diem octavum, qvo manus dextra valde tumida & dolens reddita fuit, ideoqve cataplaſma emolliens in uſum vocatum, die 10mo ſumme debilis moriebatur. Aperto cadaveris abdomine mox effluxit materia ichoroſæ ſimilis, pro parte denſior, puri ſimilis omnia inteſtina obducens, illaqve cum ſe invicem conglutinans, plura loca inteſtinorum rubro nigreſcentem colorem habebant. Maxima adeoqve pars epidemiam hanc puerperalem paſſa infauſto fato cedebat, & qvidem mediante locali vitio partis cujusdam nobilis potisſimum abdominalis, vix ex alia origine qvam materiæ lacteæ depoſitione deducendo.

9. Dolori vago artuum antea ſubjectus vir 35 annos natus qvinqve ſeptimanis ante

te introitum & in nosocomio fere ad qvinqve menses seqventi, magis magisqve increscenti & demum lethali malo chronico laborabat, sc. dolore modico in regione supraumbilicali & hepatis, vomituritione & intercurrente vomitu, affectione molesta ventriculi & oppressione pectoris post ingesta exortis, alvoqve modice laxa, sex ante mortem septimanis pyrosi molesta, & exacerbatione doloris abdominalis somnum impediente simul cum ceteris laborabat, ultimis qvatuordecim diebus omnia ingesta & qvandoqve materia viridis evomebantur, unde consumtio demum ad letalem terminum pervenit. Aperto cadaveris abdomine mox vidimus omentum majus prorsus degeneratum in massam tuberculosam sc. e nodis duris graniformibus compositam in latere sinistro versus lienem cum peritoneo coalitum; pylorus valde crassus, callosus, duritie fere cartilaginea præditus, tamen qvodammodo pervius, glandulæ mesenterii magnæ duræ, & serum nonnullum rubellum effusum erat, nonne materiæ arthriticæ ad partes abdominales depositæ harum læsio demum effectus funestos inducens adscribi potest?

10. Dolore abdominis medii constanti vir 52 annos natus baccho & veneri antea valde deditus jam ad integrum annum laboraverat,

verat, ab alimentis digestu minus facilibus increvit dolor qvandoqve vomitum, sitim semper insignem & alvum strictam secum ducens; exploratione abdominis nil præternaturale detegi poterat; sex septimanis in nosocomio vixit, alvus interea qvandoqve sponte fluebat, communiter laxantibus vel clysmate opus habebat, vomitus intercurrebat, dolor autem abdominis semper in eodem loco increscebat, ultimo mense enormis somnum impediens omnem, ultimo octiduo fauces dolebant cum aphtis; & ad summum tandem fastigium provectis miseriis & corpore qvam maxime emaciato advenit optata mors; aperto cadaveris abdomine vidimus hepar magnum durum solitò magis flavescens, & concavam illius superficiem cum ventriculo fortiter concrescentem, facta separatione invenimus hepar in hac superficie scirrosum & ulcere magno præditum, qvale vitium adjacentem partem ventriculi etiam affecit, imo perforaverat. Hoc exemplo monstratur scirri cancriqve in allatis partibus possibilitas, cujus indicium præbet doloris constantia, diuturnitas atqve enormis violentia, qvalis in simplice suppuratione vel aliis vitiis chronicis locum non habet.

DECEMBER.

1. Febris bilioſo-putrida 71 perſonas detinuit, qvarum 38 levius, ceteri graviore morbi laborabant, nonnulli metaſtaſin ad pectus cum ſputo critico patiebantur, juvati vel decocto chinæ cum ſenega, vel ſi ſputum tenacius & difficilius eſſet, ſimul alternis vicibus præbito kerme minerali; cuidam præter hanc affectionem pectoris diarrhoea & debilitate magna laboranti profuit laudatum decoctum cum appoſita mucilagine gummi arabici & alternatim cum emulſione camphorata cum moſco adjuncto. Alteri ad diem undecimum ſupervenit dolor punctorius pectoris gravis dupla venæſectione & appoſito veſicatorio ſublatus. In alio convaleſcere incipienti die 11mo accesſit tumor parotidis ſiniſtræ per veſicatoria in brachiis, & alvum pulvere eccoprotico tonico modice ſubductam, intra ſeptem dies fauſte diſſipatus absqve alio inſeqventi malo; conſtrictio ſpaſmodica oris aperturam impediens apud alterum die 14to obſervabatur per liqvorem nervinum abacta. Nervoſæ putridæ nomen imprimis merebatur febris foeminæ 23 annos natæ, lipothymia ſubitò correptæ, cujus paroxyſmo finito apho-

nia

nia plenaria jam 12 dierum aderat cum motibus febrilibus, pulſum valde debilem inveni & halitum foetidum ex ore ſpirantem percepi, verba qvidem intelligere videbatur ægra, lingvam verò extendere nolens, clyſma & cremor tartari alternatim cum mixtura camphorata cum moſco porrigebantur d. 13tio nox qvieta cum ſomno, pulvis emeticus ſolitus exhibetur cum largo effectu ſurſum & deorſum, ob debilitatem veſicatoria ſuris admoventur, die 15to loqvela redit, decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura moſcata adhibetur morbumqve prorſus devincit. Tres moriebantur, qvidam ſumme debilis poſt paucas ab introitu horas obiit; alter octiduo jam ægrotans, graviter delirans, ſpirituoſis olim valde deditus, omnia medicamenta reſpuens die 13tio ſub ſtupore & delirio notabili defunctus; tertius jam 21 diebus febricitans cum facta ad pectus metaſtaſi, vi cujus & expectoratione demum impedita die qvarto poſt introitum ſub ſtrepitu pectoris exſpirabat.

2. Cardialgia hyſterica foeminam 58 annos natam bimeſtri ſpatio afflixit freqventer recurrens, qvandoqve per aliqvot horas durans, ſæpe vomitum ſecum ducens, alvus erat ſegnis, corpus emaciatum, certus cardiæ locus circumſcriptus a preſſione externa dolebat.

lebat. Pilulæ aperientes cum marte & gummoſæ ad ſcrupulum ter indies & linimentum volatile extus in uſum trahebantur, triduo primo hinc laxabatur alvus cum inſigni levamine, dein liqvor nervinus ter per diem & allatæ pilulæ mane & veſpera porrectæ menſis exacto ſpatio ægrotam ſanabant. Altera 20 annos nata ſimili malo tribus ſeptimanis laborabat cum expanſione moleſta abdominis, tumore crurum, menſtruis parcis; poſt mox laudata remedia aliqvot diebus adhibita paroxyſmi cardialgici ceſſabant, ſed oppreſſio cardiæ & hypochondrii dextri conſtans erat cum facie flaveſcente & alvo ſegni, hinc anima rhei cum æqvali parte ſolutionis tartari tartariſati nec non pilulæ ſaponaceæ mane & veſpera in uſum trahebantur, qvibus infarctus ſymptomata menſis circiter ſpatio tollebantur. Ad morbos hyſtericos & nervoſos duplex concurrit cauſa ſc. nervorum nimia ſenſibilitas, & irritamentum qvoddam aut vitium corporeum aut animi pathema; ad materialia irritamenta a medicis numerari ſolent impuritates primarum viarum, nec non infarctus viſcerum; illius argumentum prior ex allatis ægrotis præbet, & hujus poſterior.

3. Diarrhoea non dolorifica novem menſium vir 23 annos natus afflictus erat, ſub qva vires & caro conſumtæ erant cum

appe-

appetitu proſtrato & tumore crurum jam qvatuordecim dierum; pulvis radicis gei urbani ad cochleare minus bihorio porrectus fuit, itaqve intra qvatuordecim dies diarrhœa ſanata, dolor verò crurum locum tumoris occupabat, ob qvem liqvor nervinus ter die dabatur cum pulvere mane & veſpera, unde æger reſtitutus noſocomio valedixit.

4. Tuſis pertinax apud virum 25 annos natum initio cum motibus febrilibus, aliàs cum dolore freqventi pectoris, dyſpnœa & ſputo mucoſo poſt novem tandem hebdomades per venæſectiones plures & adhibita camphorata, decoctum radicis ſenegæ & veſicatoria tollebatur ſub inſeqvente moleſta oppreſſione in regione hepatis cum adjunctis flavedine nonnulla faciei, imprimis oculorum & ſegnitie alvi, pilulæ reſolventes cum rheo ideo in uſum trahebantur, poſt tres dein hebdomades oppreſſio cardiæ ceſſavit non ſucceſſive, ſed potius ſubitò ſub accedente dolore gravi brachii dextri cum tumore manus, nunc dedi liqvorem nervinum ter per diem & allatas pilulas mane & veſpera; dolor brachii tamen qvatuordecim diebus perſtitit, veſicatorio igitur applicito ſublatus absqve reverſa affectione cardiæ; apprime me judice convenit hoc exemplum ad demonſtrandum

tusſim diuturnam atqve infarctum hepatis e cauſa rheumatica ortum trahentia.

5. Tuſi humida cum dyſpnœa inſigni, ſputo mucoſo, tumore œdematoſo extremitatum inferiorum dolore nonnullo hypochondrii dextri vir 57 annos natus ſpirituoſis deditus iam ſex ſeptimanis laborabat, & emulſione animoniacali ad cochlearia duo bihorio exhibita, indeqve alvi & urinæ excretione adauctis ſenſim ſpatio duorum menſium prorſus ſanabatur. Et reſolventem & evacuantem vim laudabilem in hoc caſu exſeruit gummi ammoniacum: verum ſimiles qvoad ſymptomata morbi qvandoqve magis pertinaces nec hoc nec alio medicamine exſtirpandas radices habent.

6. Febre puerperali adhuc nonnullæ afflictæ e noſocomio puerperarum ad nos ducebantur.

a. Foemina 20 annos nata tertio poſt partum abſolutum die corripitur frigore gravi cum inſeqventi dolore & expanſione abdominis, vena mox ſecabatur; 2do die emeticum porrectum cum levamine, 3tio die qvo ad nos venit, deprehendimus in mammis lac adeſſe, lochia bene fluxiſſe hoc die evanida, pulſumqve celerem tenſum, 4to die vena bis

&

& 5to etiam bis ſecta fuit, emulſio camphorata præterea & clyſma qvotidie in uſum trahebantur; dolor abdominis hinc decrevit & octavo die prorſus ceſſavit, poſteaqve ægra convaluit.

b. Altera 32 annos nata poſtridie a partu abdominis dolore gravi afficitur, & mox vena ſecatur, 2do die emeticum porrigitur & ob nullum inde productum levamen nova venæſectio inſtituitur, 3tio die ad nos ducta præter allata qverebatur dolorem punctorium pectoris dextri, ſimul referens, lochia mox poſt partum diſparuiſſe & nullum lac in mammis adfuiſſe; nec non tuſim diuturnam partum præcedere, pulſum inveni celerem tenſum, venam ſecui & emulſionem camphoratam in uſum traxi, die 4to dolor pectoris ceſſaverat, abdomen idem, emeticum porrigitur cum inſeqventi augmento doloris abdominalis, qvapropter vena iterum ſecatur cum exhibita emulſione allata, die 5to abdominis dolor minor, pulſus idem, bis ſangvis mittitur phlogiſticus, die 6to tuſſis moleſta cum renovato dolore pectoris & abdomen adhuc dolet, vena adhuc bis ſecatur, die 7mo & 8vo dolor & abdominis & pectoris ſilet, alvus ſegnis ideoqve clyſma, die 9no dolor uterqve allatus e novo incuſatur & venæſectio repetitur, abhinc abdomen reſtitutum

manebat, verum tuſſis cum dolore pectoris inſeqventi qvatriduo adhuc triplam phlebotomiam deſiderabat, deinceps ab omni morbo noſtra ſanata fuit.

SECTIONES:

c. Feminam 30 annorum altero poſt partum die invaſit frigus cum inſeqventi dolore totius abdominis, aliqvot abhinc elapſis horis emeticum præbetur cum modico effectu, 2do die ad nos venit, nullum lac in mammis, pulſus celer debilis, linctus oleoſus præſcribitur, die 3tio ſudor frigidus, pulſus valde debilis, abdomen idem, die 4to pulſus intermittit, dolor abdominis graviſſimus, e vena ducebatur ſangvis phlogiſticus & emulſio camphorata præſcribitur, die 5to remedia evomit, venæſectio repetitur, manus frigent cum ſudore pingvi, & noctu placida morte obiit. Aperto cadaveris abdomine multum pus foetidiſſimum effluebat, cujus magna pars in cavitate pelvis continebatur, utrumqve ovarium nigrum pure denſo obductum.

d. Altera 35 annos nata etiam poſtridie a partu prægreſſo frigore corripitur dolore & expanſione abdominis; emeticum exhibetur cum effectu & augmento doloris, hinc

vena

vena ſecta & clyſma applicitum fuit, die 5to in noſtrum noſocomium ducta fuit, lochia bene fluunt, nullum lac in mammis adfuerat, pulſus durus, venæſectione dupla ſangvis mittebatur cruſta membranoſa tectus, & emulſio camphorata in uſum vocabatur, die 4to abdomen idem, dolor femoris dextri cum aliqvali tumore adjungitur, venæſectio duplex absqve levamine, alvus aperta; die 5to dolor minor videbatur, venæſectio repetitur, verſus veſperam pulſus valde debilis, & inſeqventi nocte accesſit mors. Aperto cadaveris abdomine omnia inteſtina valde expanſa videbantur, purulenta materia in cavitate extravaſata imprimis obducebat ovarium ſiniſtrum, qvod valde rubrum erat. Ex his & præcedentium menſium hiſtoriis puerperalis febris patet. 1. Tempus invaſionis hujus morbi ſæpius eſſe diem partui abſoluto proximum, rarius tertium, vix ſeriorem. 2. Lac mammarum fere ſemper deficere vel evaneſcere. 3. Frigus initium efficere. 4. Dolorem & expanſionem abdominis haud circumſcriptum, ſed univerſalem morbi eſſentiam conſtituere. 5. Terminum ſive fauſtum ſive letalem intra paucos dies, qvintum, maxime ſeptimum limitari, & longiorem durationem e nova metaſtaſi materiæ morbi ad alias corporis partes pectus vel caput produci. 6. Plures hoc morbo ſuccumbere qvam curari.

7. Methodum Doulcetti per repetita emetica & linctum oleoſum proficuam eſſe, qvandoqve tamen etiam venæſectiones & camphorata utiles eſſe, qvod præſertim e doloris perſeverantia, vel augmento poſt porrecta emetica, pulſuqve duro & pleno ſperandum eſt. 9. Mediante inflammatione imprimis partium uterinarum morbum hunc letalem fieri.

7. Tuſſis ſicca cum dyſpnoea, tumore aliqvali crurum & decubitu tantum in latere dextro tolerabili virum circiter qvinqvagenarium duobus menſibus afflixit, duobus, dum in noſocomio morabatur æger, menſibus hæc mala mox minuta mox pejora videbantur, ultimis tamen qvatuordecim diebus aggravata ſingulari ſatis modo, ita ut interdiu extra lectum nec tuſſis nec alius notabile malum moleſtaverit, noctu verò invaſerit tuſis moleſtiſſima cum inſigni dyſpnoea, qva æger tandem ſubitò ſuffocatus fuit. Aperti thoracis cavitas ſiniſtra enormem continuit ſeri clari copiam cum pulmone exili compreſſo, in altera cavitate plenarius pulmonum cum pleura coalitus aderat. Nonne tuſis illa nocturna concretioni pulmonis dextri indeqve ejusdem ſub decubitu tantum posſibili in latere ſiniſtro productæ tenſioni & irritationi adſcribi poteſt?

ANNUS 1787.

MENSIS JANUARIUS.

1. Febris bilioso-putrida 54 personæ laborabant, triginta leviori, reliqvæ graviori morbo detentæ; in nonnullis dolor artuum rheumatico similis adjunctus erat; apud qvendam dolor talis modicus hypochondrium affligens sub progressu morbi in dolorem artuum mutatus, apud gravius afflictos morbus sæpe directus fuit aut ad intestina cum provocata diarrhoea, cui decoctum chinæ simplex cum liqvore nervino profuit, aut ad pectus cum sputo puriformi critico expectorantibus solitò & antea laudato modo cum cortice peruviano junctis promoto & demum sedato. Feminæ cuidam sub progressu morbi supervenerunt convulsiones freqventes per liqvorem nervinum & mixturam moscatam alternatim adhibita, atqve vesicatorium nuchæ sensim rariores redditæ & demum evanescen-

tes. Cuidam ſeptiduo ante introitum ægrotanti qvater vena ſecta fuerat, in noſocomio dein febris manifeſtò putrida apparuit, diu protracta tandemqve ſanata, qvale exemplum innocentiam venæſectionis in putridis non demonſtrat, ſed modò dari ſubjecta tali medicationis vitio ſuperiores vires habentia. Apud qvendam gravisſime & delirio forti afflictum ſucceſſit febri devictæ debilitas paralytica brachiorum, demum poſt plures menſes liqvore nervino, infuſo florum arnicæ, veſicatoriis, cucurbitis ſiccis, urticatione & balneo vaporis prorſus ſanata. Qvatuor moriebantur, duò qvi expectoratum ſemper deglutiebant, tertius ob diarrhoeam colliqvativam, qvartus ob debilitatem ſummam altero poſt introitum die letalem.

2. Hepatalgia apud puellam 22 annorum febri putridæ metaſtatico modo ſucceſſerat cum tumore & duritie affecti loci, alvoqve ſegni, initio junctus erat dolor punctorius pectoris dextri cum pulſu celeri tenſo, venæſectione & camphoratis dolor acutus tollebatur, affectio autem hepatis remanſit; pillulæ reſolventes, tinctura reſolvens, decoctum radicum graminis & taraxaci nec non ungventum neapolitanum lateri affecto illitum qvinqve ſeptimanis ſine mutatione morbi in uſum trahebantur, tunc verò oriebatur ſalivatio

larga

larga octiduo durans cum insigni diminutione affectionis hepatis, ad qvam prorsus exstirpandam succum recentem taraxaci præscripsi, continuatis simul pilulis resolventibus illo cum effectu, ut mensis abhinc spatio absoluto sanitas integra restituta fuerit. Duo alii simili hepatalgia decem hebdomadum absqve alio prægresso morbo exorta laborabant cum freqventer recurrente vomitu per pilulas resolventes cum rheo sanati.

3. Tusi sicca, dolore punctorio vago utriusqve pectoris, dyspnoea & palpitatione cordis sub motu molestantibus post febrem acutam relictis vir 26 annorum trimestri spatio laborabat; misso sangvine præbui pilulas pectorales cum kerme minerali ad grana qvindecim ter indies, post qvinqve dies expectoratio mucosa procedebat cum levamine, hinc loco pilularum infusum radicis senegæ cum oxymelle scillitico bihorio porrigebatur, qvinqve abhinc elapsis diebus vagus accusabatur dolor femoris & genu sinistri cum notabili levamine pectoris, tertio die hic dolor evanuit sub efflorescentibus pustulis herpetosis admodum urentibus mox infra genu sinistrum, dein sponte exsiccatis, pectoris interea status indies melior post trés in nosocomio peractas septimanas ad completam sanitatem reductus fuit. Et hoc & mox prægressum ex-

emplum docent originem morbi chronici e materia morbifica per febres generata, & dein ob excretionem incompletam ad viſcus qvoddam depoſita, nec non reſolutionem talis impactæ materiæ aptis remediis posſibilem eſſe.

4. Per lapſum vir 48 annorum contuſionem notabilem patiebatur in ſpina vertebrarum, qva examinata vertebram qvandam valde prominentem cum tumore in circumferentia ejusdem dolenti invenimus, impotentia movendi artus inferiores & corpus erectum tenendi ſimul aderat; cataplaſma ſaturninum afflicto dorſi loco diligenter admovebatur illo cum effectu, ut poſt qvatuor menſes æger reſtitutus fuerit; præcautionis ergo conſvaſi cingulum forte abdomini & dorſo ſemper circundatum.

5. Doloribus arthriticis forſan a ſiphyllitica origine apud feminam 26 annorum per varia remedia tractatis, & demum per mercurialia devictis reſtitit tumor notabilis durus genu dextri cum rigiditate ejusdem, linimentum volatile, inunctio mercurialis, balneum vaporis nullius efficaciæ erant; cataplaſma ideo ſaturninum admotum maximam tumoris partem abegit & genu flexibilius reddidit, applicito

plicito demum fonticulo infra genu completa fiebat reſtitutio.

6. Paralytica debilitas utriusqve brachii in puella 20 annorum jam dimidio anno præſto erat exorta poſt colicam ſpaſmodicam qvæ adhuc leviori gradu intercurrebat; liqvor nervinus, infuſum arnicæ, cucurbitæ ſiccæ, balneum vaporis initio, & dein ob laxitatem manuum balneum ſtillatitium demum poſt dimidium annum vires deperditas artuum reſtaurare valebant.

8. Hydrope anaſarca trium hebdomadum laboranti feminæ 36 annos natæ paucis poſt introitum diebus elapſis ſupervenit gangrenoſa exulceratio cruris ſiniſtri per epithema ex herbis reſolventibus & ſumnitatibus abſinthii cum vino & aceto coctis paratum intra qvinqve dies exſiccata & ſanata, diureſis alias ſub uſu cremoris tartari & infuſi juniperini adeo procedebat, ut intra tres hebdomades hydrops ſanatus fuerit.

9. Raucedo pertinax apud juvenem 15 annos natum devicta ſcarlatina febre permanebat cum oppreſſione moleſta pectoris, hæc venæſectione tollebatur, verum raucedo eadem nec infuſo ſenegæ, nec camphoratis

nec

nec pediluviis cedebat, tandem autem laxantibus aliqvoties repetitis manifesto fugabatur.

10. Glandularum & subaxillarium & ingvinalium intumescentia notabilis apud feminam 35 annorum post scabiem sponte exsiccatam qvatuordecim diebus aderat; oculi cancrorum & flores sulphuris ana ad unciam dimidiam cum camphoræ scrupulo ter per diem ad cochleare minus porrigebatur, intra paucos dies sub efflorescente scabie tumor glandularum evanuit.

SECTIONES.

11. Ischiade lateris dextri dimidio anno laboraverat vir 27 annorum cum aridura & immobilitate femoris, omnia antarthritica externa & interna successive in usum trahebantur absqve juvamine, crus dextrum intumuit, & sensim integrum corpus, vires magis magisqve decrescebant, respiratio molesta fiebat; versus finem motus convulsivi in extremitate dextra intercurrebant, tandemqve miserias in nosocomio decem mensibus protractas finivit mors. Cadaveris femur dextrum valde emaciatum invenimus, in abdomine inter musculum psoas & illiacum internum magna aderat copia puris densi ma-

leo-

leolentis, qvod in cavitatem acetabuli penetraverat, cartilago tam acetabuli qvam capitis femoris consumta, & ossea substantia aspera carioſa deprehendebatur; in pectore pulmones partim cum pleura coaliti & qvoad substantiam præsertim dexter tuberculis durisgraniformibus repleti. Haud immeritò credere licet, materiem arthriticam tamdiu parti cuidam infixam ejusdem creare posse inflammationem, suppurationem, aliosqve effectus demum letales; hecticam consumtionem & læsionem pulmonum sub progressu morbi adjunctas resorptæ materiæ tribuere fas est.

12. Dolore abdominis admodum freqventi qvandoqve cum expansione ejusdem alvoqve semper laxa vir 24 annorum iam integro anno, cum ad nos venit, debilitatus satisqve emaciatus erat, appetitus tamen integer fuerat; qvæcunqve mucilaginosa, sistentia imo antiphlogistica prorsus nullum effectum produxerunt; post tres menses dolor abdominis imprimis circa umbilicum fixus reddebatur, ultimo mense tumor hydropicus primò crura dein totum corpus occupabat, dejectiones alvinæ mucosæ purulentæ observabantur, & post menses septem in nosocomio finitos consumtio letalis fiebat. Aperto cadaveris ventre multum serum effluxit, omentum minimum, ventriculus magnus, intestina

natu-

naturalis diametri, pars ilei, cœcum & colon integrum lividum colorem habebant, & longitudinaliter diſſecta in interna ſuperficie qvoad totum tractum nigreſcentia exulcerata & ichore fuſco obducta reperiebantur; proceſſus coli pingvedinoſi hydatidum ſpeciem præ ſe ferebant; glandulæ meſenterii & pancreas indurata erant, probabile eſt inflammationem internam ſuperficialem inteſtinorum, qva tunica villoſa ſuppuratione qvadam ſoluta & ſeparata fuit, morbo adeo diuturno demum funeſto originem præbuiſſe; hoc enim naturali tutaculo deſtitutis inteſtinis ſtimulus contentorum non poterat non & ſenſationem nimiam dolorificam, & actionem inſolitam, alviqve fluxum inducere; nimis provecto tali morbo & facta iam exulceratione ſerò parari medicinam ſponte patet; principio autem forſan prodeſſet antiphlogiſtica medela cum victu blandiſſimo.

FEBRUARIUS.

1. Febre bilioſo-putrida 53 laborabant, 24 modice, reliqvi gravius & graviſſime decumbentes; non pauci metaſtaſin ad pectus patien-

patientes expectorantibus ſolito modo cum cortice junctis qvandoqve demum poſt longum tempus ſanabantur; qvidam horum bimeſtre ſpatium ſub tanto periculo tranſegit, ſcorbuto dein etiam ſanato afflictus erat; apud alterum tumore œdematoſo crurum topicis fugato ſurrexit febris manifeſto & magno gradu putrida, camphora, moſco, cortice debellata & demum ſub ſalivatione protracta & tumore crurum per veſicatoria revocato ſanata; alterius oculo metaſtaſis notabilem & pertinacem induxit inflammationem, ita ut in inferiore parte corneæ tranſparentis formatum pus indubitatò appareat; hirudines circa oculum, veſicatoria pone aurem & in brachiis diutius ſuppurantia, & imprimis cataplaſma ſaturninum oculo conſtanter, diuqve appoſitum & inflammationem & collectum pus diſſipabant, atqve oculum prorſus reſtituebant. Septem moriebantur; duo ob enormem ad encephalum congeſtionem horum, unus apoplexia tactus; tres ob expectorationem ſub metaſtaſi ad pectus impeditam, ſextus cum hæmorrhagia enormi per alvum & excrementis foetidiſſimis; ſeptimus ſub parotide ſuppurante cum deliratione ultimis vitæ diebus ſeſe exſerente forſan e materia ad encephalum depoſita.

2. Scar-

2. Scarlatina febre duæ laborantes ad nosocomium ducebantur; harum una sanata parotidem die nono accedentem suppuratione finitam patiebatur; altera die morbi qvinto ad nos venit cum dolore notabili faucium, deglutitione fere prorsus impedita, cephalalgia, pulsu celeri molli, semel iam vena secta erat; hirudines circa laryngem applicari curabam, vesicatorium nuchæ, sinapismos suris, gargarisma acidulum & camphorata intus; sexto die status idem cum pulsu celeriori, debili & versus vesperam notabilis congestio ad caput observabatur, qvapropter hirudines temporibus, & vesicatoria brachiis admovebantur, septimo tamen die apoplexia mortem induxit. Alia etiam occasione didici, sangvinis missionem & derivationem saltem non sufficere, ad avertendum periculum e congestione humorum versus encephalum in hoc morbo observata; qvinimo citò insecuta mors me dubium reddidit, numne detractio sangvinis in certis casibus forsan, ubi putrida aut si mavis, maligna indoles subest, vel conspirat, ansam præbeat majori citiusqve letali sangvinis rarefactioni.

3. Convulsiones puellam 13 annos natam tribus septimanis affligebant, sæpius per diem recurrentes, a dolore hallucis dextri incipientes, ad umbilicum sese extendentes

&

& dein totum corpus occupantes cum ignorantia ſui ipſius, atqve dimidia hora durantes; lumbrici ſub morbo evacuati erant, abdomen expanſum, appetitus & alvus naturales inveniebantur, emetica & laxantia ſine fructu adhibita erant; pulveris cremoris tartari & vermifugi ana unciam cum moſci granis qvatuor ad cochleare minus ter per diem præbui, poſt decem dies nulla morbi mutatio, hinc emeticum porrectum fuit etiam absqve juvamine, deinceps olei animalis dippelii guttæ ſex bis per diem cum allato pulvere mane & veſpera continuato, qvatuordecim verò diebus absqve notabili mutatione exactis pillulæ ex aſſa fetida ad grana duodecim loco pulveris exhibitæ fuerunt ſimul cum allato oleo unde paroxyſmi ſenſim decreſcendo prorſus evanuerunt.

4. Cephalalgia meritò arthritica cenſenda conſtans imprimis frontalis cum adjuncto dolore lumborum & crurum vir 24 annos natus qvatuor ſeptimanis laboravit, hirudines temporibus, pediluvia, veſicatoria pluries repetita & in nucha & in cruribus, venæſectio cucurbitæ cruentæ, camphorata, balnea per duos fere menſes, ſaltem cum levi modò levamine tentabantur, demum ſolutio gummi gvajaci aqvoſa ter per diem ad cochleare majus porrecta menſis ſpatio morbum ſanabat.

5. Hepatalgia qvinqve hebdomadum femina 51 annorum laborabat ſæpius imprimis tempore veſpertino revertente, qvandoqve admodum gravi conſtrictionem moleſtam abdominis ſecum ducente; crampis artuum ſub hoc morbo ſilentibus ſe olim crebrô ſubjectam fuiſſe retulit ægra, alvus, appetitus, pulſus naturales inveniebantur; liqvor nervinus, nitrum cum camphora & lacte ſulphuris, venæ ſectio repetita, pediluvia, linimentum volatile & dein veſicatorium in latere affecto applicitum, & diutius ſuppurans ultra menſem adhibita modicum tantum levamen, & qvod dolor qvandoqve ad artus excurreret, effecerunt, tandem ſolutio gummi gvajaci aqvoſa in uſum tracta ſpatio qvatuordecim dierum dolorem ſenſim debellavit & delevit.

6. Similis dolor hepaticus in viro 36 annos nato tribus ſeptimanis duraverat cum dyſpnœa & alvo ſegni; adhibitis pilulis reſolventibus cum aloe mane & veſpera & tinctura aperiente interdiu intra menſem tollebatur lateris dolor ſub inſeqvente dolore brachii ſiniſtri diuturniore, dein aliorum artuum breviori, ſponte evanido.

7. Hepatalgia ſeptem hebdomadum afflicta erat foemina 34 annos nata cum exacer-

cerbatione doloris poſt ingeſtos cibos & a presſione externa, corpus valde emaciatum erat; poſt uſum tincturæ aperientis per aliqvot dies crus ſiniſtrum doluit, dein utrumqve crus intumuit, ſcabies provenit & dolor lateris ceſſavit ſub adhibitis pilulis hydropicis mane & veſpera ſimul cum allata tinctura; tumor deinceps & ſcabies per pulverem cremoris tartari cum pectorali reſolvente maritatum ſanabantur. Hiſce exemplis diſcimus, materiam rheumaticam vel arthriticam, aliamve hepatis affectionem, qvæ infarctum ſimulat, inducere poſſe & probabiliter veram obſtructionem, ſi diutius ibidem hærere pergat.

8. Dolor hypochondrii ſiniſtri totius a cardia per totum tractum ad dorſum ſeſe extendens conſtans duodecim diebus afflixerat qvadragenarium, cui nuper, ut retulit, inflammatio abdominalis in noſocomio militari ſanata erat, alvus interea ſtricta non niſi remediis aperta, dyspnœa notabilis magis magisqve adaucta, in latere dextro intolerabilis ob minantem exinde ſuffocationem, pulſum inveni celerem, tenſum; dupla vice ſangvinem, qvi phlogiſticus erat, mitti curabam; nec non veſicatorium lateri applicari intusqve camphorata imprimis cum nitro & lacte ſulphuris; per aliqvot dies dolor ita valde mi-

nuebatur, relicta tamen oppreſſione nonnulla cardiæ & lateris absqve febre, pilulæ ideo reſolventes mane & veſpera & tinctura aperiens ter die propinabantur, unde allatum veſtigium doloris intra tres hebdomades diſſipatum fuit. Nonne etiam in hoc caſu culpa tribuenda eſt materiæ rheumaticæ, qvæ primò inteſtina vexaverat, dein ad hepatis lobum ſiniſtrum converſa partim illius inflammationem tandemqve obſtructionem creaverat.

9. Hydrope anaſarca vir 48 annos natus tempore octo annorum ter reverſo laboraverat; huic morbo ultima vice ad novem menſes protracto ſupervenerant motus epileptici qvinqvies unico die repetiti, mox poſthac diureſis valde adaucta omnem tumorem intra qvatuordecim dies fugaverat; remanſerat autem debilitas cum tremore artuum, dyſpnœa, tuſſi humida, ſomno inqvieto, tamen a decubitu ſingulari non dependente, alvus & appetitus naturales erant. Veſicatorium magnum in pectore applicitum dyſpnœam mox ſuſtulit; altero dein in nucha admoto veſicatorio & liqvore nervino intus porrecto tremor intra aliqvot hebdomades adeo evanuit, ut artem textoris ſolitam rurſus æger exercere valuerit; e qvanam cauſa allatæ convulſiones deducendæ ſunt? Et qvare diureſis mox poſt illas augebatur? Num ſerum

ſtagnans

ſtagnans ſubitò reſorptum etiam ad encephalum nervosve penetraverat, illaqve ad irregulares motus irritaverat? Veſtigium ſuperſtes talis irritationis tremor indicare videbatur.

10. Delirantem graviter ſextiduo fœminam, qvæ ante tres hebdomades pepererat, per hirudines temporales bis repetitas, veſicatoria tam in nucha qvam in brachiis applicita incaſſum per aliqvot dies ſanare conabar, internam medicinam prorſus ægra recuſabat; venæſectione ideo ſimul & ſemel triginta duas uncias ſangvinis detraxi, qvo facto noſtra mox reſipuit.

11. Partu abſoluto, dieqve elapſo apud feminam 24 annorum lac præſens mammarum evanuit & expanſio dolorifica abdominis ſurrexit; pulvis ideo emeticus bis alternis diebus porrigebatur cum effectu, aliis diebus linctus oleoſus laxativus; ſeptimo ſic poſt partum die ſymptomata abdominalia ceſſabant, & mox oriebatur dolor cum tumore cruris dextri, ubi ſtatim veſicatorium applicitum erat; octavo die junctus fuit dolor ſcapulæ dextræ cum tuſſi atqve dyspnœa; alvus jam biduo clauſa erat, facta exploratione in crure & femore lateris dextri plures inveni tumores circumſcriptos atqve dolentes; hiſce cataplas-

ma emolliens applicabatur atqve intus emulsio camphorata alternatim cum oleo olivarum albo atqve syrupo e manna; intra paucos dies abscessus femoris maturatus & disruptus fuit & pectus restitutum; dolor autem scapulæ in humerum propagatus absqve mutatione externa perstitit cum immobilitate ejusdem; vesicatorio frustra tentato, cataplasma emolliens diligenter admovi, cujus vi dolor in juncturam cubiti & antibrachium descendebat; permanebat tamen immobilitas; pertinacissima hæc fuit affectio, venæsectione freqventi, balneo vaporis, cucurbitis siccis, liqvore nervino per tres menses frustra fere oppugnata; tandem tenuis inunctio mercurialis brachii mane & vespera instituta, spatio trium hebdomadum curationem absolvebat. Lactis depositio varia sine dubio symptomatum successionem in hoc casu observatam produxit; effectus illius in brachium ob insolitam hujus læsionis indolem, durationem & methodum, qva sanabatur præsertim mihi notabilis videbatur.

12. Aqvam fortem ad uncias qvatuor loco alterius, qvem forsan petiit, spiritus ingessit vir 25 annorum, mox surrexit dolor gravis ardens cardiæ & vomitus, lac ideo larga copia ingessit, indeqve & vomitus cum ejectione acidi & diarrhœa surgebant; aliqvot

ab-

abhinc horis elapſis ad noſocomium ducto ægroto præſcripſi oleum olivarum album ad cochleare majus dimidia qvavis horâ ſumendum, nocte inſeqvente alvus ſepties deponebatur & cardiæ dolor valde miteſcebat, hinc oleum omni tantum hora ſumſit, alvus rarius fluxit & triduo elapſo reſtitutio completa fuit.

13. Vomitum perdiu ſimulabat juvenis 16 annos natus diæta noſocomii meliore fruens, otiumqve magis qvam ſcholam amans; plurima ingeſta ad varium poſt aſſumtionem tempus ſe rejicere qverebatur; reliqva valetudo aliqvatenus bona & alvus modò parum ſegnis erat, omnis generis antemetica ſucceſſivè verum absqve juvamine in uſum trahebantur; ſæpius, qvæ vomuerat, ingeſta monſtrabat, aliis vicibus illa foras ejecta eſſe mihi retulit; tandem alvi apertura qvodammodo procedens, corporis & virium vix notabile ſub hoc vomitu obſervatum decrementum me in fraudis ſuſpicionem induxerunt; opinionem hanc primò ægroto ipſi propoſui, qvi verò graviter indignatus dolum prorſus denegabat, famula itidem examinata veritatem vomitus ſerio conteſtabatur; candidatus ideo qvidam noſocomii me jubente ægroto adſtitit & ſub prandio & aliqvo poſt illud elapſo tempore; brevi poſt ingeſtos cibos

noſter inqvit: Candidate! attende! manus pone dorſum teneo, & tamen redibit vomitus, qvia nimirum credideram, intruſo in fauces digito vomitum citatum fuiſſe; verum absqve tali adminiculo cibos eructatione potius qvam vomitu ejiciebat; ſuſpicionem ideo tamen haud dimiſi ſed mutavi, credens conſvetudine qvadam acqviſitam fuiſſe hanc vomendi vel rectius eructandi facultatem; e novo famulam ægroto jam minus amicam tentavi, & qvod noſter ingeſta dum voluit, retinere potuerit, certior redditus fui.

MARTIUS.

1. Febri bilioſo-putrida 40 perſonæ laborabant, 23 modico, reliqvæ graviori gradu; qvædam poſt ſcabiem retropulſam, alter poſt ſudorem pedum refrigerio ſuppreſſum in hunc morbum maximi gradus incidebant, qvi in poſteriore per ſalutarem metaſtaſin ad pectus finitus fuit; qvædam die 10mo corripiebatur tumore notabili metaſtatico genæ dextræ, qvi per veſicatorium primo in nucha, dein in brachio largiter ſuppurans ſublatus fuit; in altera die 14to ambæ parotides intumeſce-

meſcebant & dolebant per aliqvot dies increſcentes; pulvis eccoprotico tonicus alternatim cum mixtura camphorata acida nec non veſicatoria primò in brachiis, dein inter ſcapulas illum tumorem feliciter diſſiparunt; apud alium die 30mo ſubitò circa juncturam cubiti ſiniſtri acceſſit tumor notabilis mollis, inſeqventi die ſponte ruptus cum effluxu puris largi admodum fœtidi ſuppuratio poſthac ſat diuturna fuit tandem in ſanitatem finita. Tres moriebantur, qvædam ob metaſtaſin ad pectus, altera ob debilitatem, tertius apoplexia tactus.

2. Febres intermittentes hoc anno valde freqventes a menſe martio initium ceperunt, qvotidiani aut tertiani typi inter viginti ægrotos ſex ſolis digeſtivis & emetico ſanabantur, reliqvi cortice opus habebant; qvidam febre per corticem ſanata, ſcabie nec antea prægreſſa, nec infectioni tribuenda corripiebatur, contra hanc tribus demum a febre fugata elapſis ſeptimanis linimentum mercuriale in uſum traxi, poſt tres tamen dies ſub incipiente exſiccatione ſcabiei febris rediit, cortice iterum largius porrecto mox ſanata; alia tamen vice hanc medendi methodum adhibui absqve reverſione febris. Apud cacochymicam febre tertiana haud adeo inveterata per corticem abacta oriebatur tumor

œdematoſus crurum maculis liveſcentibus notatus; porrecto igitur elixirio antarthritico cum aceto ſcillitico nec non infuſo trifolii fibrini poſt duos dies ſub decreſcente tumore reſurgebant febriles motus initio continui, poſt emeſin vero periodici qvotidiani redditi; febre rurſus per corticem ſuppreſſa, pectoris gravis ſurrexit affectio cum tuſi & ſputo purulento, decocto chinæ cum ſenega atqve juſculo ſecalino tandem ſanata ſub recrudeſcente tamen tumore crurum maculato per ſupra allatum elixirium absqve redeunte febre ſublatus; & nervis per diuturnum corticis uſum ſatis roboratis & minutæ materiæ morbificæ tribuendum eſt, qvod tumor ultima vice impune diureticis abactus fuerit; qvidam tuſi ſicca moleſtiſſima ſimul cum febre laborabat; veſicatorium magnum pectori applicitum tuſis vim frangebat, porrectus cortex utrumqve malum prorſus ſuſtulit. Apud alterum trigenarium poſt vomitum & tuſim duorum dierum cum ejectione ſangvinea oriebatur febris iam trium hebdomadum qvotidiana, ſub cujus paroxyſmis vomitus & tuſis inſignis gradus aderant, continuo ſimul vexabat oppreſſio cardiæ & hypochondrii dextri, facies & oculi flaveſcebant cum alvo ſegni; tinctura aperiente & decocto ſolvente & veſicatorio magno in pectore adhibitis poſt decem dies & ſymptomata pectoris

& fe-

& febris admodum minuta reperiebantur, febrem ideo per pulverem corticis ad qvartanam ſupprimebam, oppreſſio tamen cardiæ & hypochondrii dextri continuabat, pillulas ideo reſolventes manè & veſpera porrigebam ſimul cum pulvere corticis interdiu trihorio; qvatuordecim abhinc elapſis diebus affectio hypochondrii etiam ſublata fuit & reſtitutio completa; vix dubitari poteſt, qvin obſtructio nonnulla hepatis febri annexa fuerit & illius veſtigium adhuc hac ſanata ſuperſtiterit; duabus ideo indicationibus ſatisfacere oportuit, febrem ſc. continuato cortice prævertere & obſtructionem adhuc præſentem debellare; medicamenta hiſce ſcopis congrua roborantia & reſolventia etiam fauſto cum ſucceſſu combinabantur; unde patet, regulam praxeos tale connubium prohibentem ſaltem exceptionem admittere. Quidam 29 annos natus intermittente 14 dierum, initio tertiana, octiduo proximo qvotidiana laborabat; præterea aderat dolor hypochondrii ſiniſtri qvatuor menſium poſt malum iſchiaticum veſicatorio in ſura fugatum exortus, conſtans, qvandoqve remittens ſub tumore œdematoſo crurum & hoc evaneſcente exacerbatus; veſicatorio in latere applicito dolor mox minuebatur; alias tinctura aperiente & ſucco recenti taraxaci porrectis febris poſt qvatuordecim dies tollebatur, ſub accedente diarrhœa modi-

ca ſine dubio ſalutari, poſt dies aliqvot & per animam rhei cum liqvore anodino minerali loco alterius tincturæ exhibitam ſedata; ſupererat dein vagus dolor mox hypochondrii mox iſchii ſiniſtri, qvi per liqvorem nervinum & continuatum ſuccum taraxaci brevi tempore prorſus ſanabatur; reſpectu habito ad originem, & alternationem doloris inveterati lateris, ille merito arthriticæ indolis cenſendus eſt; febrem ſupervenientem etiam huic irritamento adſcribo; ſæviente enim conſtitutione intermittentium epidemica, permulti morbi ad easdem ſuſcipiendas diſponunt ſ. ad illarum formam induendam proni ſunt; qvod etiam ex aliis poſthac narrandis caſibus patebit. Qvædam pulvere hollandico contra febrem ordinario cortice non cedentem opus habuit & ſanata fuit.

3. Cephalalgia, intercurrente vertigine, ſuſurru capitis, debilitate femina 51 annos nata trimeſtri circiter ſpatio laborabat, anno & dimidio ſimilia ſymptomata ſed minoris gradus afflixerant; pluribus annis alvus ſegnis fuerat qvandoqve qvinqve diebus non aperta, bimeſtri ſpatio palpitatio cordis ſub motu moleſtaverat; faciem ægrotæ tumidam pallido flaveſcentem obſervavi; primo menſe tinctura aperiens, pulvis rhei cum ſale medio; veſicatorium nuchæ diu ſuppurans in uſum tracta

alvi

alvi aperturam & modicum cephalalgiæ levamen produxerunt; nunc ſimul cum tinctura pilulæ reſolventes cum aloe præſcriptæ fuerunt nec non ſuccus recens taraxaci, poſt qvatuordecim abhinc dies crura ſat notabiliter intumeſcebant, qvapropter mixtura diuretica cum ſucco herbarum & decocto amaro laxante mane & veſpera loco pilularum propinabatur, qvibus diureſis notabiliter adaucta & intra ſex circiter hebdomades ſanitas reſtituta fuit. Habitualis alvi obſtipatio ſive a defectu bilis, ſive ab atonia inteſtinorum dependens merito inter cauſas morbos chronicos generantes numerari debet; præſertim uti apud noſtram, duo effectus morboſi hinc ortum trahunt ſc. reſorptio ſucci minus laudabilis e contentis inteſtinalibus ob nimiam remoram ad corruptelam vergentibus, indeqve cacochymia ſ. mala ſangvinis conſtitutio, atqve congeſtio humorum nimia ad caput ob impeditam ſ. minus liberam ſangvinis in abdomine circulationem, unde compreſſio & læſio encephali vario modo & gradu produci poſſunt. Nonne ideo talis, etſi tolerabilis alvi ſegnities attentione medici & tempeſtiva medela digna eſt?

4. Poſt vertiginoſum inſultum vir 32 annos natus vim loqvendi, artusqve lateris dextri movendi perdiderat, ſemel interea ve-

na

na ſecta fuerat; præter allatum ſtatum ægroti pulſum tenſum haud celerem inveni & die introitus hirudines temporibus, ſinapiſmos ſuris & cremorem tartari bihorio præſcripſi; inſeqvenți nocte inqvietudo, inſomnia & mane motus epileptici adfuerunt, mox præbui emeticum, poſt cujus effectum absqve apertura alvi & ſtatu morbi eodem manente cremor tartari cum rheo ad effectum propinatus fuit, nox inſeqvens cum ſomno bono & die octavo ab initio morbi loqvela fere prorſus reſtituta & artus multo meliores obſervabantur, per allatum pulverem alvum modice ſubducere perrexi & poſt octo dies æger prorſus reſtitutus noſocomium reliqvit. Curatio hæc adeo cito & per remedia alvum evacuantia abſoluta mihi apta videtur ad originem talis paralytici affectus e vitio primarum viarum probandum.

5. Dolore oppreſſorio regionis ſupraumbilicalis potiſſimum lateris ſiniſtri prope umbilicum vir 32 annorum per qvinqve menſes laboraverat, bimeſtri ſpatio proximo exacerbatum fuit malum cum cardialgia freqventi, expanſione intercurrente abdominis, ſalivatione enormi, alvoqve ſegni; tincturam aperientem ter per diem, & pilulas reſolventes cum rheo mane & veſpera ſumendas præſcripſi, poſt paucos dies ſalivatio hinc ceſſabat, & intra tres hebdomades omne malum ſublatum

erat

erat. Nonne ſedes hujus morbi in pancreate fuit?

SECTIONES.

6. Vomitu omnium, ut retulit, ingeſtorum fœmina 38 annos nata ſemeſtri, cum ad nos venit, ſpatio laboraverat cum cardialgia freqventi moleſta, alvo ſegni & menſtruis per annum ſuppreſſis; abdomen debito magis expanſum inveni, & vomitum non omnia ingeſta rejicientem obſervavi; qvinqve menſes in noſocomio tranſegit hæc ægrota ſemper, dum vomuit, acidum ejiciens nulla arte mutandum; ſenſim hoc ſymptoma qvoad freqventiam & copiam egeſti augebatur cum debilitate & conſumtione etiam magis magisqve increſcentibus, alvus interea qvodammodo etiam liqvide fluxit; ultimo menſe tumor notabilis & extremitatum inferiorum & abdominis jungebatur, mediante paracenteſi ſeptem menſuræ ſeri educebantur & paucis poſthac elapſis diebus prorſus conſumta moriebatur ægra. Aperto cadaveris ventre multum ſerum effluxit, omentum contractum, totius ventriculi ſubſtantia indurata admodum craſſa imprimis in arcu majori; pylorus qvoad totam circumferentiam craſſitie pollicis præditus, calloſus valde durus tamen qvodammodo per-

vius

vius, in ſuperficie interna plicas enormiter prominentes habens, ligamenta hepatis & lienis eandem crasſitiem & duritiem habuerunt; pancreas itidem induratum. Singularem hic caſus ſiſtit vomitus hectici ſpeciem non a pyloro prorſus clauſo ſed a totius ventriculi degenerata ſubſtantia dependentem, qvæ ſine dubio ab inflammatione primum ortum traxit.

APRILIS.

1. Febre bilioſo-putrida 24 laborabant, qvatuordecim modico, reliqvi majori gradu detenti; inter priores femina 22 annorum 14 diebus bilioſis ſymptomatibus manifeſto ægrotans poſt bis porrectum emeticum ejusqve effectum vomituritionem qveri pergebat cum dolore oppreſſorio cardiæ attactum non tolerante, ſapore malo, pulſuqve celeri tenſo; affectionem ideo hepatis particularem ſuſpicans, venam ſecui & camphorata præbui, dolore hinc minuto repetebatur venæſectio & qvidem ad qvatuor vices, donec dolor domitus eſſet; leve dein illius ſuperſtes veſtigium cum vomituritione per tincturam aperientem diſſipatus fuit. Qvidam gravius decumbens

cit

die decimo nono ſangvinem per tuſſim ejecit absqve dolore pectoris; ideo non mutata ſolita medela ſponte ſangvinis ſputum ceſſavit; febri poſthac ſcorbutus ſucceſſit, qvi adhuc magis demonſtrabat, illam excretionem a reſolutione ſangvinis illæſa pulmonum ſubſtantia ortum traxiſſe; unicus moriebatur jam, cum ad nos venit, ad extrema perductus.

2. Febres intermittentes admodum numeroſæ partim qvotidianæ, partim tertianæ, qvarum plurimæ ſine cortice curari neqvibant; qvidam bibendo propriam urinam aliqvot diebus continuis jejuno ventriculo vomitum largum citaverat, itaqve pro tempore fugaverat tertianam, qvæ autem dein recidivans qvatuordecim diebus duraverat cum dolore conſtanti medii abdominis, preſſionem haud tolerante alvoqve ſegni, ſapor erat amarus & lingva mucoſa; per ſex dies continuos pulvere ſalino cum rheo alvum modice laxavi, dolor abdominalis hinc ceſſabat ſuperſtite febre per corticem ſanata. Qvidam ſimul cum febre laborabat dolore artuum, primum vago, dein fixo in lumbis & genu dextro; febre per emeticum & ſalina fugata reſtitit artuum dolor, qvi ſub ſudore alternis noctibus recurrente ceſſavit. Apud alterum devictæ bilioſæ febri ſucceſſit qvotidiana, ſub cujus paroxysmis larga ſimul aderat narium

hæmorrhagia; decoctum chinæ acidum utrumqve malum ſuſtulit. Alter jam qvatuor diebus laborabat gravi conſtanti dolore punctorio pectoris dextri, tuſſi ſicca, dyspnœa & præterea frigore omni veſpera recurrente cum inſeqventi cephalalgia; bis vena ſecta, veſicatorio lateri applicito, intusqve pulvere digeſtivo exhibito poſt qvatuor dies febris ſiluit & levis modo dolor lateris ſuperſtes accuſabatur, qvapropter emulſio camphorata in uſum trahebatur, biduo poſthac elapſo, tempore febris prægreſſæ ſolito leve oriebatur frigus cum inſeqventi dolore pectoris dextri, dyspnœa, tuſſiqve gravi ſuffocationem minante, qvæ omnia ſub ſudore verſus matutinum tempus ceſſabant; pulvis corticis ad qvartanam mox in uſum trahebatur, nec ſæpius rediit paroxysmus, dyspnœa autem ſat notabilis continua permanebat cum lingva ſordidiſſima, pulvis allatus ideo adhuc per qvatuordecim dies continuatus alvum modice cum levamine ſenſim majore laxare pergebat; dolor demum aliqvalis gravativus hypochondrii dextri decubitum in latere oppoſito haud tolerans accuſabatur per tincturam aperientem trihorio ſumtam, & linimentum volatile extus adhibitum ſublatus. Materia morbifica ad pectus depoſita ita in hoc caſu debellanda & evacuanda erat, ne febris periculoſa redeat, cui ſcopo pulvis ad qvartanam ob laxan-

tem

tem effectum potiſſimum convenit & revera reſpondit. Contra diarrhœam 14 diebus durantem in puella decem annorum adhibito pulvere radicis gei urbani qvovis bihorio oriebatur febris qvotidiana, qvæ poſt aliqvot paroxysmos ſub uſu ejusdem medicinæ ſimul cum diarrhœa ceſſabat. Alter undecim annos natus trimeſtri fere ſpatio laborabat qvotidiana, cui per qvatuordecim dies junctus erat tumor hydropicus totius corporis; ut lectum conſtanter teneret æger, nec non tincturam aperientem præſcripſi, atqve dein obſervato, febrem cum frigore & æſtu ſicco absqve inſeqventi ſudore adeſſe, pulverem temperantem camphoratum ſub æſtu febris ſumendum ordinabam, qva methodo ſudor ſub paroxysmo promovebatur, & intra qvatuor dies tam febris qvam tumor omnis ſublata erant. Hoc exemplo manifeſte probatur, a defectu ſudoris ſub paroxysmis febrilibus hydropem generari poſſe, illumqve provocato ſudore curari; qvædam 27 annos nata pectoris morbo freqventer afflicta poſt pleuriticam febrem incidit in qvotidianam jam qvatuordecim dierum, cui juncta erat tuſſis cum ſputo purulento, ſub uſu decocti chinæ cum ſenega febris ſenſim decreſcendo ceſſabat, & adhibito ſimul juſculo ſecalino pectus multò melius fiebat; verum recruduit febris altera vice laudato

decocto non cedens, ſed exhibito pulvere hollandico fugata absqve ullo malo pectoris.

3. Inflammationes paucæ: Fœmina 24 annos nata, novendecim, cum ad nos venit, diebus pleuritide laborabat ſc. dolore conſtanti punctorio pectoris dextri, dyspnœa notabili, ſputo mucoſo, pulſu celeri tenſo; lingva erat rubra glabra, decubitus in latere ſiniſtro intolerabilis, horripilationes nonnullas ægrota ſentiverat, bis vena ſecta fuerat & veſicatorium lateri dolenti applicitum; modo ſemel venam ſecui, pulſus mox inde depreſſus illius repetitionem prohibuit; aliàs emulſionem camphoratam præbui alternatim cum decocto ſenegæ; die 21mo fruſta purulenta expectorabantur, qvale ſputum cum levamine & ad integram reſtitutionem usqve ſub uſu decocti ſenegæ & juſculi ſecalini procedere pergebat. Alter gravi manifeſta inflammatione pectoris ſimul cum ſymptomatibus bilioſis ægrotabat, per repetitam venæſectionem & camphorata devicta poſt ſeptem dies inflammatione ſe magis evolvebat putrida febris decocto corticis peruviani alternatim cum pulvere expectorante curata. Vir 33 annos natus novem diebus laborabat dolore oppreſſorio medii abdominis cum obſtipatione alvi continua, interea fere qvotidie laxantia ſc folia ſennæ, rheum, ſal anglicanum ſine ullo

ef-

effectu, bis demum vena secta fuerat, pulsum vix celerem sed tensum inveni; intra quatuor dies sangvis non phlogisticus qvinqvies mittebatur, intusqve camphorata præbui, dolore hinc mitigato clysma cum effectu injiciebatur, posthac flatus abire ceperunt & die 14to alvus sponte aperiebatur mox cum diarrhœa admodum freqventi, non dolorifica per tres dies continuos sibi ipsi relicta, adjuncto dein dolore abdominis infusum radicis saleb in usum vocatum alvi fluxum sedabat. Nonne hæc abdominis affectio inflammatoria fuerat? qvamvis sangvis phlogisticus haud esset, nec dolor adeo acutus, ad aliud tamen morbi genus referri neqvibat, nec tutiori medela, qvam qvæ inflammationi convenit, tractari. Haud improbabile est, laxitatem devicto spasmo exortam laxantibus antea ingestis & nunc activis redditis adscribere.

4, Scarlatina febre pauci laborabant; huc me judice referenda est qvædam novem jam diebus ægrotans symptomatibus solitis putridis cum adjuncto dolore faucium ab initio adhuc gravi deglutitionem impediente, post hirudines circa laryngem, vesicatorium in nucha, intusqve exhibita camphorata altero die fauces multo meliores fiebant, die decimo qvarto æger convaluit & cutis postea desqvamabatur, qvamvis nulla efflorescentia

prægreſſa fuerit; dolores nonnulli artuum dein accuſabantur laxante aliqvoties repetito fugati.

5. Hydropem anaſarcam vir 36 annos natus per vitam ſedentariam pluribus menſibus in carcere tranſactam ſibi contraxerat cum dyſpnoea, tuſi ſicca, decubitu tamen tolerabili in omni regione corporis, emulſio ammoniacalis & calor maximam tumoris partem diſſipabat; crura dein rigida haud adeo tumida per elixirium antharthriticum cum aceto ſcillitico, ſerum lactis, tempus æſtivum & motum corporis diligentem ſanabantur. Alterum 54 annos natum ante octo dies invaſerat tumor cardiæ dolens, conſtans iam elaſticus, attactum haud ſufferens cum dyſpneoa notabili, tuſi ſicca; hiſce quatriduo proximo junctus erat tumor œdematoſus crurum tandemqve ſcroti inſignis, ſomnus bonus & decubitus in omni regione corporis tolerabilis, emulſio ammoniacalis bihorio ſumenda, infuſum juniperinum, lecti calor continuus imperebantur; alvus hinc modice laxabatur cum adaucta diureſi, intra ſeptem dies affectio cardiæ ceſſavit; tandem poſt ſex hebdomades ſub continuatione ejusdem medicinæ cum adjunctis per decem ultimos dies pilulis ad hydropicos omnis morbus ſenſim fugatus fuit. Cauſam & originem morbi æger ignoravit,

ni

ni forte eſſet refrigerium ſ. hauſtus frigidus ſumtus incaleſcente corpore ſub laborioſo, qvod egit, vitæ genere; qvalis autem fuit nexus inter hanc cauſam & inſeqventia ſymptomata? primo ſc. affectionem cardiæ & dein tumorem hydropicum?

6. Salivatio in viro 34 annos nato quatuor ſeptimanis duraverat, admodum larga, ut credidit, a refrigerio, cui octiduo ante morbum in cubiculo male clauſo expoſitus fuerat, exorta; toto die & parte noctis illa ſalivatio continuabat; tonſillæ rubeſcebant & dolebant, appetitus octiduo proſtratus erat; alvus autem naturalis, vires haud decreverant; exhibitis camphoratis, gargariſmo ex herba ſalviæ, & veſicatorio in nucha intra qvinqve dies ſalivatio fere ceſſabat ſub accedente otalgia mox mutata in dolorem juncturæ ſcapulæ ſiniſtræ; ideo in uſum tracta eſſentia ſtibii cum ſpiritu lavendulæ compoſito poſt tres dies rediit ſalivatio perſiſtente nilominus dolore brachii, nunc veſicatoria in brachiis diu ſuppurantia admovebantur, ſalivationi hinc ceſſanti ſucceſſit dolor pectoris ſat gravis cum tuſi initio levi, ſed increſcenti cum ſputo ſangvineo; venæ ſectio ter repetita, emulſio camphorata, veſicatorium in latere affecto pectus reſtituebant, qvo facto ſaliva-tio rediit cum dolore moleſto faucium, per

reno-

renovatum autem in nucha vesicatorium sedata, sed brachia iterum & dein reliqvi artus dolore vago molestabantur, solutio gummi gvajaci aqvosa eapropter in usum tracta post decem dies illum artricularem affectum tollebant, ita ut æger sanatus nosocomio valedixerit. Exemplo hoc manifesto demonstratur salivationis qvædam species arthritica vel si mavis rheumatica nuncupanda, per alternationem cum dolore artuum dignoscenda, per derivantia saltem pro tempore tollenda, verum haud adeo tuto ob transpositionem derivatæ materiæ etiam ad partes internas nobiles possibilem, per antarthritica ideo solita potissimum & radicaliter curanda.

7. Dolores illis ad partum similes post puerperium superstites integro anno fœminam 25 annos natam afflixerant, semper post alvum per se segnem depositam insurgere soliti, insequenti circiter biduo sæpius recurrentes, ad horam protracti, secum junctum habentes sensationem ponderosi corporis in cavitate pelvis descendentis, in vaginam tamen haud provenientis; tribus proximis septimanis malum hoc exacerbatum fuit; exploratione vaginali nil peregrinum animadverti poterat; mox pulverem anticolicum ad cochleare minus ter vel sæpius per diem præscripsi, adeo ut alvus bis terve qvotidie absqve difficultate evacuari po-

tue-

tuerit, ſeptendecim poſthac diebus ſub hujus medelæ uſu commorata fuit in noſocomio absqve reverſione allati incommodi; ipſa dein petens dimiſſa fuit monita, ut alvum ſemper bene apertam teneret; hosce enim dolores tribuebam nimiæ in ligamentis uteri laxitati, ob qvam ſub niſu validiore diaphragmatis & a propulſis ſchybalis durioribus uteri certa dislocatio & partium huc pertinentium dolorifica diſtenſio induci poterant; qva per alvi fluxum facilem vitata occaſione & malum ipſum prævertere, & ut ligamenta haud amplius tenſioni nimiæ ſubjecta ſenſim tonum debitum reciperent, ſperabam.

SECTIONES.

8. Foemina 42 annos nata, qvæ ad noſocomium ægrotum maritum inviſendi gratia ambulaverat; ſubitò cardialgia tanti gradus corripiebatur, ut ipſam in noſocomio mox ſuſcipere coacti fuerimus; propter doloris vehementiam haud aliud de prægreſſis hæc ægra narrare potuit, qvam qvod cardialgia hæc per aliqvot dies intercurreret, cum alvo ſegni iam biduo clauſa, ſitiqve inſigni, pulſum inveni exiliſſimum, qvalis inſtantem mortem, revera poſt aliqvot horas evenientem indicabat. Aperto cadaveris abdomine

multum pus denſum ibidem inveniebatur, mediante qvo inteſtina expanſa, iuflammata partimqve gangrænoſa cum ſe invicem conglutinata erant. Mirari meritò opportet adeò gravem & funeſtum morbum diuturno, qvod reqvirebatur, tempore absqve notabili ægrotæ incommodo exſtitiſſe & generatum fuiſſe.

9. Diarrhoea dolorifica decem hebdomadum apud foeminam 33 annorum menſis ultimi ſpatio juncta erat cum tumore hydropico totius corporis, nec non abdominis tamen absqve fluctuatione; adhibitis ipecacuanna, geo, decocto albo absqve juvamine, poſt novem dies ſingultus & mors acceſſerunt; in aperto defunctæ abdomine multum aderat ſerum fruſtis purulentis copioſis mixtum; inteſtina qvoad volumen & ſubſtantiam naturalia, nec in aliis viſceribus inflammationis aut alterius vitii veſtigium invenimus; in pectore pulmones cum pleura coaliti erant, ex inflammatione inteſtinali diarrhœam concomitata & dein evanida inventæ purulentæ materiæ generationem deducere haud iniqvum eſt.

10. Tuſſis atqve dyſpnœa ſex ſeptimanis laborabat foemina 32 annos nata cum adjuncto dolore oppreſſorio hypochondrii dextri, qvatuordecim proximis diebus corpus ſenſim intumuerat, nec non abdomen ta-

men

men haud distincte fluctuans; sitis aderat insignis; ingesta solida ægre abdomen ferebat, decubitus in dorso molestabat; adhuc qvatuordecim diebus in nosocomio vixit ægra, tussim præsertim cum sputo partim sangvineo patiens. Secto demortuæ ventre multum seri effluebat & in conspectum venerunt intestina valde expansa imprimis colon & stomachus, hepar & lien substantiæ debitò durioris, omentum majus prolongatione qvadam ligamenti ad instar in postica uteri superficie fortiter nexum, in pectore ambo pulmones qvoad anticam partem cum pleura coalescebant; postica pectoris pars extravasatum serum continebat, cor valde expansum in ventriculo sinistro modicum, in dextro multum sangvinis includebat.

11. Dolore hypocondrii dextri puella 24 annos nata mensis spatio, cum ad nos venit, afflicta fuerat; hic initio gravis punctorius, octiduo proximo mutatus erat in gravativum cum decubitu tantum in latere affecto tolerabili, intercurrente vomitu, alvoqve semper laxa, verum absqve ulla horripilatione, idem status adhuc decem diebus in nosocomio durabat cum debilitate increscente demum letali; aperto cadaveris ventre mox vidimus plenariam hepatis cum peritoneo concretionem; facta separatione effluxit larga copia

pia puris ex hepatis lobo dextro, cujus maxima portio ſuppuratione conſumta erat; omentum ad pelvim deſcendebat, ibidemqve ad latam diſtantiam cum peritoneo accretum erat. Horripilatio vaga communiter pro indicio factæ ſuppurationis æſtimatur; caſus noſter exceptionem probat, ſc. hanc ſine tali ſigno exiſtere poſſe.

MAJUS.

1. Febre bilioſo-putrida 31 perſonæ decumbebant, octo modici, reliqvæ gravioris gradus; qvidam 24 annos natus tribus jam ſeptimanis ægrotabat cum adjuncta per tres proximos dies obauditione notabili; decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura camphorata acida porrigebantur biduo primo, verum debilitate non maximi gradus obſervata, & qvia lingva ſordida erat cum halitu peſſimo oris, emeticum propinare auſus fui cum effectu & in ſigni levamine, adeo ut auditus mox reſtitutus fuerit & intra paucos dies æger ſub repetita prima medela convaluerit; qvali exemplo & emolumentum notabile ſe ſera tamen ſub allatis indicantibus adminiſtra-

ta

ta emesi & origo obauditionis e sorditie primarum viarum demonstrari videntur. Apud alterum die undecimo accesserat dolor punctorius pectoris dextri biduo, cum ad nos venit, præsens; pulsum inveni celerem debilem vesicatorio applicito, intusqve emulsione camphorata alternatim cum pulvere expectoranti præbita dolor ille duobus diebus siluit, dein reversus gravior qvadrupla venæsectione opus habens, itaqve sublatus; non ideo, ut antea monui, juvamini per vesicatorium producto semper fidendum est. Septem moriebantur, qvidam ante hunc morbum per onanismum valde debilitatus, & tribus ante introitum septimanis ægrotans sub summa virium dejectione exspirabat; duæ aliæ præter maximam debilitatem sphacelo lumborum laborabant, ideoqve peribant; qvartus itidem qvatuordecim diebus decumbens, sui ipsius haud conscius, amens & valde inqvietus die decimo octavo sine dubio ob validam ad caput congestionem moriebatur; qvintus duodecim diebus afflictus putrida febre cum adjuncta excretione larga sangvinis per nares & alvum atqve maculis lividis totius corporis mox post introitum sangvinem copiosum putridum per vomitum & alvum excrevit & postridie moriebatur, sextus ante morbum phthisicus die decimo tertio sub sputo impedito exspiravit, ultimus metastasin ad pectus patiens

cum

cum ſputo purulento, ſangvinem qvoqve largum per anum depoſuit, pus itidem per aurem fluxit, & illis omnibus die trigeſimo ſexto finem impoſuit mors. Qvinam horum ſervatus eſſet? qvamvis etiam me melior medicus adſtiterit, ſerò medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras, qvalis qverela de ægrotis ad noſtrum noſocomium ductis ſæpe numero & juſtò fieri poteſt.

2. Febres intermittentes numeroſæ ægrotantium numero 54 dimidia circiter pars qvotidiana, altera tertiana laborabat, ſanatio rarò absqve cortice perficiebatur, tumor crurum valde freqvens febrem aut concomitans aut ſubſeqvens febre, per corticem fugata ſponte evaneſcebat; ſemel paroxyſmi febrilis locum ſubiit grave delirium; pertinacem in tribus qvotidianam & alterius qvartanam pulvis febrifugus de Freſca de abegit; cuidam bimeſtri ſpatio valetudinariæ præſertim ob tumorem hydropicum præprimis crurum ſupervenerat febris intermittens partim tertiana, dein qvotidiana jam qvatuordecim diebus protracta cum adjuncta ſcabie; mox poſt introitum in noſoconio ſub uſu cremoris tartari ſupervenit ſudor admodum largus interdiu & noctu perdurans, indeqve febris & tumor intra qvatuordecim dies ceſſabant; ſcabies autem copioſius provenit, qvæ ſub ſudore

dore ultra menſem adhuc continuante etiam tollebatur, demum ulcera cruſtoſa in capite erumpebant ſenſim & ſponte exſiccata. Probabile eſt, impuritates humorum chronicas ſub conſpirante epidemica conſtitutione febri anſam præbuiſſe, nec minus veroſimihe, hanc illarum ſolutionem & evacuationem adeo notabilem produxiſſe.

3. Febre pleuritica undecim laborabant, qvorum unica moriebatur novem, dum ad nos venit, diebus ægrotans cum adjuncto iam per biduum pectoris ſtrepitu, ſub qvo tamen morbus non ante 13tium diem morte finiebatur. Signum hoc funeſtum communiter breviori tempore mortem præcedit; etiam diuturnius illius tempus poſſibile eſſe, hoc exemplo patet.

4. Diureſin admodum freqventem ſaltem ad qvamvis horam ſtrangurioſam adeoqve largam ut diabetem mentiretur, qvæqve ſub qviete & decubitu corporis in lecto remittebat, miles 20 annorum per integrum annum paſſus intereaqve variis remediis in noſocomio militari incaſſum uſus fuerat; moleſtum hoc ſymptoma notabiliter mixtura acida diminuit, haud verò prorſus ſuſtulit, qvippeqvod exploratio dein par catheterem inſtituta docuit ortum trahere e calculo veſicæ,

cujus

cujus radicalis curatio chirurgis commissa fuit. Hæc ideo observatio e diuresi allato modo depravata calculi suspicionem elicere docet.

5. Dolor lancinans abdominis virum 54 annos natum qvatuor mensibus afflixerat non constans, sed sæpe tamen irregulariter revertens qvotidie circiter, ad unam alteramve horam durans, incipiens in regione lumbari dextra, sese extendens versus umbilicum, indeqve propagatus ad hypochondrium sinistrum, & tunc qvandoqve vomitum secum ducens; extra paroxysmos abdomen fortiorem attactum haud tolerabat, verum nulla perceptibilis induratio aderat; alvus qvodammodo naturalis; nullum antea morbum passus fuerat æger, nec aliam causam indicare valuit, qvam grave refrigerium & corporis e pluvia inundationem, cui malum successerat; proximo mense morbus exacerbatus erat cum anorexia & sapore malo; & ex origine & ex inconstanti indole rheumaticam hanc credidi affectionem, ideoqve liqvorem nervinum ad guttas viginta bihorio præscripsi, qvo remedio solo malum sensim decrescendo spatio sex hebdomadum tollebatur. Effectus remedii veritatem sententiæ meæ probare videtur & qvod rheumatismus singulari allato modo sese exserere possit.

6. Vo-

6. Vomitus apud fœminam 48 annos natam rite menſtruatam menſis ſpatio adfuerat ingeſta mox poſt aſſumtionem rejiciens cum dolore aliqvali cardiæ presſorio, attactum non tollerante alvoqve ſegni, verum absqve ulla febris nota; mixtura camphorata acida, liqvor nervinus, julapium ſalinum, magneſia alba, ſolutio ſalis glauberiani cum anima rhei ſenſim & ſucceſſive in uſum trahebantur absqve ulla mutatione morbi, neqvidem alvi apertura, qvæ per clyſma ſemper promovenda erat, tribus ita elapſis ſeptimanis pillulas ex aſſa fœtida ſola paratas ad grana qvindecim ter indies præbui, qvarum uſu vomitus magis magisqve diminutus & intra duodecim dies prorſus ſanatus fuit, ſupervenit dein tertiana febris digeſtivis & dein cortice tractata & ſanata absqve redeunte vomitu. Hyſtericum ſive nervoſum hunc judicare & nuncupare vomitum præſertim remedii juvantis indoles ſvadet.

SECTIONES:

7. Dolore medii abdominis conſtanti per dimidium annum laborabat vir 38 annos natus cum ſingulari ſenſu frigoris & exacerbatione poſt ingeſtos cibos; qvatuordecim proximis diebus ſimul aderat diarrhœa præſertim

e ſumtis alimentis revocata; corpus valde emaciatum faciemqve tumidam inveni, de cauſa morbi retulit, qvod ante annum pro ſcabie curanda multa purgantia & externa topica adhibuiſſet; ſuſceptum in noſocomio ægrotum ſimul tuſſi, qvam celaverat, cum ſputo purulento laborare comperi; ſedata poſt aliqvot dies diarrhœa oppreſſio pectoris inſurrexit cito moleſtiſſima cum ſingultu & ſtrepitu, ita ut decimo poſt introitum die exſpiraverit; in aperto cadaveris ventre ſerum nonnullum extravaſatum aderat; inteſtinum colon valde contractum & proceſſus eidem adhærentes pingvedinoſi appellati, aqva pleni hydatidum ſpeciem præ ſe ferebant; pectoris utraqve cavitas ſerum nonnullum includebat & uterqve pulmo tuberculoſus ſub inciſione pus effundebat. Sine dubio materta ſcabioſa externis retropulſa & purgantibus introverſa affectionem colicam præternaturalem diuqve dolorificam atqve forſan ſimul phthiſin excitaverat.

8. Partu placentæ difficili per extractionem validam in fœmina ante qvatuor hebdomades finito oriebatur larga hæmorrhagia per injectionem aqvæ frigidæ diminuta, tandem verò ante octo dies evanida; tribus proximis hebdomadis adfuerat qvotidiana duplex cum ordinariis paroxyſmis; octiduo lac mammas de-

ſeruerat; tuſſis moleſta cum ſingultu etiam accuſabatur; die introitus ad veſpertinam horam ſeptimam febris per tres horas & dein inſeqventi mane eodem tempore & modo recurrebat, & ſic porrò, diureſin alias difficilem ſtrangurioſam cum dolore regionis hypogaſtricæ & fluxu uterino fetido adeſſe obſervavimus, biduo ultimo delirium aderat continuum cum excrementis involuntariis & lingva aphtoſa, itaqve mors largo decocti chinæ uſu haud avertenda nonum poſt introitum diem finivit. Aperto cadaveris ventre inteſtina mox admodum expanſa apparebant, omentum in pelvim deſcendebat ibidem cum utero coalitum illo modo, ut inteſtina qvaſi bipartita apparuerint, uterus cum inteſtino recto concretus erat, facta ſeparatione pus effluxit largum, proveniens tam ex utero ipſo in poſtica ſuperficie ſuppurato & perforato qvam ex inteſtino recto etiam qvoad magnam portionem in ſuppurationem converſo & conſumto. Rudior obſtetricantis tractatio in educenda placenta meritò pro origine hujus morbi habenda eſt, injectio aqvæ frigidæ a ſubitanea morte qvidem liberavit, haud verò inſeqventes lentas funeſtasqve miſerias prævertit; caute ideo verſandum eſt circa extractionem placentæ, numqve & qvo modo inſtitui debeat? bene ponderandum; etiam hoc exemplo confirmatur, qvod antea obſer-

vavi, febre duplicata ſuppurationem qvandam in corpore præſentem ſuſpectam reddi.

9. Febre continua puella 22 annos nata octiduo, cum ad nos venit, laboraverat cum inſigni congeſtione ſangvinis ad caput, faciei notabili rubedine & delirio gravi, venæſectio qvinqvies repetita, hirudines temporibus applicitæ, emetica & laxantia in uſum tracta fuerant; mox e novo hirudines temporibus apponebantur, ſinapiſmi ſuris, intusqve camphora, moſcus, cremor tartari porrigebantur, die 9no nox inſomnis, clyſma veſicatoria brachiis, die 10mo ſtatus idem, inqvietudo inſignis, enormis cephalalgia pulſus durus, phlebotomia ſangvis qvodammodo phlogiſticus educebatur, die 11mo ſtatus idem cum dolore nuchæ, repetebantnr & venæſectio & hirudines in temporibus, die 12mo ob morbum adhuc eundem ſangvinis integra libra e vena mittebatur, inſeqventi nocte apoplexia letalis acceſſit. In aperto cadaveris cranio vaſa omnia piæ matris & cerebri nec non ſinus ſangvine valde turgeſcebant; in utroqve ventriculo laterali & baſi cranii largum aderat ſerum in, abdomine omnia ſana, in pectoris cavitate utraqve ſerum nonnullum; pulmo ſiniſter qvoad inferiorem partem inflammatus, centrum tendineum diaphragmatis manifeſto inflammatum & polypus

pus magnus in ventriculo dextro cordis reperiebantur. Et ſymptomata hujus ægroti & extiſpicium demortui me judice inflammatoriam hujus morbi indolem deſignabant, meritò ideo qveritur, cur antiphlogiſtica methodus tempeſtive & ſufficienter applicita haud profecerit? culpa ſine dubio ſedi inflammationis in parte diaphragmatis tendinoſa vertenda eſt, vel forſan etiam læſioni encephlali; cur morbum finivit letalis apoplexia poſt tot adeoqve largas ſangvinis miſſiones vix metuenda, qvinimo, ut credidi, avertenda? an dantur caſus, ubi ſangvinis jactura apoplexiam potius promovet, qvam prævertit?

JUNIUS.

1. Febre bilioſo-putrida qvadraginta ſex ægrotabant, octodecim modico, reliqvi graviori gradu afflicti; hæmorrhagiam narium copioſam apud qvendam die duodecimo morbi accedentem & jam biduo, cum ad nos æger venit, protractam decoctum chinæ cum ſpiritu vitrioli largiter ſumptum compeſcuit; lingva dein valde ſordida cum ſapore putrido & oppreſſione cardiæ me movebat ad præben-

dum emeticum, cujus effectus levatorius fuit absqve reverſione hæmorrhagiæ, porrectus dein cremor tartari alternatim cum decocto chinæ acido reſtitutionem perfecit, utilis adeoqve & tutus poteſt eſſe emetici uſus etiamſi ſerus & poſtqvam materia morbi ſangvinis maſſam inqvinaviſſe videtur. Alter die duodecimo morbi gangrena præputii cortice largiter ingeſto juvata corripiebatur, atqve deinceps tumore parotidis dextræ per veſicatoria in brachiis fauſte diſſipato. Tres moriebantur, duo nimirum ob congeſtionem validam ad caput, tertius ob inſignem debilitatem cum alvo laxa.

2. Febres intermittentes adhuc numeroſæ, pauciores tamen qvam prægreſſo menſe, tumor crurum febris freqvens comes aut pediſſeqvus qvinimo cum eodem alternans obſervabatur; cujusdam febri cortice ſanatæ ſuccesſit dolor abdominis regulariter periodicus qvotidianus tinctura rhei aqvoſa fugatus. Apud alterum febris qvatuordecim diebus protracta per corticem peruvianum omni dimidia hora octo diebus continuis ſumtum ſuppreſſa fuerat, qvinqve abhinc elapſis diebus exortus erat dolor omnium prorſus junctura-rum cum immobilitate; camphorata ideo porrexerat medicus itaqve largum provocaverat ſudorem jam per ſex dies continuantem

tem cum reſtitutione eatenus pomota, ut dolor tantum modicus genu dextri ſupereſſet, pulvis nitroſo camphoratus cum lacte ſulphuris ſuperſtitem illum dolorem intra paucos dies abegit; nonne materia febrilis ſub convenienti corticis uſu digerenda & evacuanda propter enormen illius ingeſtionem indeqve nimiam conſtrictionem & reſiſtentiam in vaſis exhalantibus productam retenta & ad artus conjecta fuit? nonne omne nimium etiam boni corticis nocuum fieri poſſe hoc exemplo diſcimus?

3. Inflammationes nonnullæ imprimis pectoris; huc refero morbum qvadragenarii jam qvatuor ſeptimanis protractum cum tuſſi dyſpnoea, aliqvali raucedine, nullo dolore circumſcripto pectoris, ſed ejusdem integri moleſtam a tuſſi ſenſationem; pulſum celerem tenſum inveni, appetitus erat proſtratus, ſudor pedum antea ſolitus ſub morbo ſuppreſſus fuerat; ſangvinis, qvi phlogiſticus deprehendebatur, miſſio qvater repetita, decoctum radicis ſenecæ alternatim cum emulſione camphorata exhibitum, juſculum ſecalinum & pediluvia crebra affectionem pectoris ſenſim diminuebant ſub expectoratione puriformi bene procedente & dein ſuccedente fluxu feroſo auris ſiniſtræ per veſicatorium in nucha ſublato; talis pectoris affectio haud im-

merito pro inflammatione lenta habetur, illiqve opinioni medelam accommodare tutissimum est. Duæ inflammatione abdominali laborabant; altera morbum sibi contraxerat a pediluvio admodum calido tempore menstruationis adhibito, hac inde mox suppressa exortus fuerat abdominis dolor inflammatorius; alter qvinqve jam diebus febriebat cum cephalalgia vertiginosa, siti insigni, vomitu freqventi, partim bilioso, dolore notabili regionis hepatis sub ructibus intolerabili, alvo biduo clausa, pulsu celeri tenso, bis ante introitum vena secta fuerat. Repetita dein intra triduum phlebotomia ad sex vices, camphorata & vesicatorium dolenti loco appositum dolorem tollebant; qvamvis cephalalgia hepatitidi in hoc casu suspectæ, qvatali non competat, ideoqve alium febrilem morbum præsentem indicare videretur, inflammationis indicia tamen adeo gravia & manifesta erant, ut contra illam tanqvam prævalentem morbum medelam dirigere fas esset.

4, Arthritide per plures annos sæpius afflicta fœmina 53 annos nata qvatuordecim diebus symptomata bilioſa cum vomituritione & intercurrente vomitu patiebatur, emeticum porrexi, post cujus effectum oriebantur motus epileptici per liqvorem nervinum bihorio sublati succedente stupore nec non dolore

lore obtuſo extremitatum lateris dextri, per veſicatoria hisce applicita dolor ad utrumqve genu limitatus fuit, qvi intra breve tempus per ſolutionem gummi gvajaci aqvoſam abactus fuit. Arthritica materies ad primas vias depoſita ſine dubio partem cauſæ bilioſi morbi conſtituerat, vi emeſeos dein ſoluta & ad artus petendum apta reddita fuit.

5. Tumore crurum modico cum levi dolore genuum poſt menſis ſpatium apud feminam 34 annos natam ſponte evanido appetitus jam per tres menſes perditus & alvus adeo ſegnis reddita erant, ut nonniſi artis auxilio ſolveretur, qvo neglecto dolor preſſorius ſurrexit in regione coli transverſi qvandoqve ſecum ducens vomitum, hic biduo proximo ſolitò gravior fuerat cum ejectione partim fluidi partim grumoſi ſangvinis, jam verò poſt venæſectionem bis inſtitutam evanida; flatus ſemper retenti erant & menſtruus fluxus ſub morbo ſuppreſſus, pulſum valde debilem inveni, primo qvatriduo mixtura camphorata acida, veſicatoria ſuris & clyſma indies cum effectu applicita fuerunt, nunc flatus ſponte abire ceperunt, die qvinto pulverem temperantem camphoratum cum dimidia parte lactis ſulphuris exhibui omni trihorio, unde alvus bene aperiebatur, verum poſt aliqvot dies dolor abdominis ob omnibus ingeſtis

mox exſurgens accuſabatur; venam ideo ſecui, mixturam camphoratam repetii & abdómen linimento volatili crebro inunxi, biduo poſt venæſectionem dolor abdominis ceſſavit & alvus naturaliter fluxit, ita ut nil morboſi amplius ſupereſſet. Nonne materia peregrina morboſa e cruribus ad inteſtina converſa horum nervis paralyticam qvandam affectionem, propter qvam appetitus deperditus & alvi fluxus impeditus erant, induxerat? nonne dolor abdominis ſub accedente reſtitutione ortus renovatæ nervorum vi adſcribi poterat?

6. Diarrhœa dimidii anni cum aliqvali dolore abdominis & ſub evacuatione & extra eandem aliqvoties recurrente vir 28 annorum laboravit cum adjuncto per menſem tumore œdematoſo crurum ſat notabili; facies itidem tumida leucophlegmatica apparuit & caput qvandoqve doluit cum ſuſurru aurium; pulvis radicis gei urbani bihorio porrectus ſpatio trium hebdomadum & affectionem abdominis & tumorem crurum prorſus ſuſtulit; caput dein veſicatorio nuchæ applicito reſtituebatur; immediatus hinc & manifeſtus patet nexus inter œdema & alvi fluxum immodicum, licet modus, qvo reſorptionis opus in ſyſtemate lymphatico per diarrhœam impeditur, vix explicari qveat.

7. Hy-

7. Hydrops in qvadragenario cum adjuncta ſcabie ſub uſu pulveris cremoris tartari partibus duabus & pectoralis reſolventis parte una compoſiti atqve infuſi juniperini magis magisqve increvit & totum corpus occupavit; ut æger ideò continuo in lecto calido teneretur, imperabam, qvo facto & allatis remediis non mutatis diureſis augebatur & morbus ſanabatur. Alterius 46 annos nati hydrops eodem modo ſub uſu emulſionis ammoniacalis ſe habuit, non cedens anteqvam lecti calor continuus ſimul in auxilium vocatus fuerat.

8. Lipothymia apud foeminam 36 annos natam primum ante novem menſes in puerperio absqve prægreſſa cognita cauſa exorta fuerat, poſteaqve ſæpe & fere qvotidie reverſa per vertiginem præcedentem annunciata, cardialgiam moleſtam ſecum ducens, vim loqvendi, haud verò conſcientiam ſui ipſius ſupprimens; vires corporis interea decreverant ita ut artus ſuperiores valde debiles tamen mobiles, omnis autem utilis laboris incapaces; artus autem inferiores prorſus immobiles, inſenſibiles emaciati & qvoad genua contracti eſſent; appetitus alvus, menſtruatio qvodammodo naturalia; gingyvæ ſuperiòres debitò magis tumidæ, laxæ & rubeſcentes obſervabantur, liqvor nervinus trihorio, thee trifolii fibrini & menſura ſeri lactis

lactis cum pomo citri qvotidie propinabantur, nullus lipothymiæ insultus in nosocomio sese exserebat; intra qvatuordecim dies brachia restituta erant, artus autem inferiores manebant iidem, balneum ideo vaporis & cucurbitæ siccæ iisdem applicabantur, post aliqvot abhinc dies insolitum frigus in cruribus sentiebatur dein pruritus in plantis pedum & octodecim dierum spatio vis crurum adeo ut sine aliena ope & sana e nosocomio exire valeret. Paralytica hæc debilitas proprio sensu nervosa censeri & nominari potest, e locali vitio encephali & medullæ spinalis haud ortum trahens, sed ex ipsis nervis in corpore distributis tono debito privatis.

9. Tetanus post odontalgiam gravem evanidam in femina 37 annos nata jam sex diebus seqvenți modo aderat: musculi maxillarum continuo & fortiter contracti erant, adeo ut ægrota nil præter fluida deglutire & difficulter loqvi valeret, tota spina dorsi nec non extremitates inferiores prorsus rigidæ & immobiles ad situm constantem supinum cogebant, crampi præterea dolorifici omnes artus per intervalla affligebant, alvus fuerat segnis pridie ante introitum per clysma aperta; die 16to Junii, qvo ad nos venit, opii puri grana qvatuor solutæ in aqvæ melissæ unciis tribus ad cochleare majus bihorio sumen-

mendum præſcripſi die 17mo noctu ſomnus aliqvalis, alvus per clysma oleoſum cum adjectis granis qvatuor opii aperiebatur, intusqve opii grana ſex in unciis qvatuor aqvæ ut ſupra porrigebatur die 18vo crampi dolorifici rariores, corpus parum erigi potuit, repetebatur clysma, oleoſum absqve opio die 19no dolor conſtringens faucium ſub deglutitione accuſatus, artus inferiores parum mobiles, opii grana novem cum aqvæ unciis ſex propinabantur, nec non clysma oleoſum, die 20mo veſpera dolor admodum gravis dorſi cum rigiditate dorſi ad plures horas durans, obſtaculum deglutitionis profundius verſus cardiam ſentiebatur, ſudor continuus largus, ſitis inſignis pulſus celer, nunc opii grana duodecim ad ſex aqvæ uncias præſcripta fuerunt, die 22do opii grana qvindecim ad uncias ſex aqvæ propinata, ſtatus poſthac ſenſim melior ad diem 25tum, qvo ſpasmi notabiliter minuti reperiebantur & ægrota corpus ſponte erigere, atqve erectum tenere valebat; alvus antea tantum per clysma aperta ter per ſe fluxit, iam grana octodecim opii in aqvæ unciis ſex porrigebantur, die 26to alvus laxa partim in lecto, crus dextrum parum tumet, infuſum Saleb alternatim cum ſolutione opii ordinabatur, alvi laxitate verſus veſperam ceſſante ſeponitur infuſum Saleb, abdomen ſingulari modo ab utroqve latere conſtrictum ſ. com-

preſſum

preſſum & in medio prominens tamen absqve dolore obſervabatur; die 27mo noctu conſtrictio dolentiſſima totius corporis per aliqvot minuta adfuerat, poſtea ægrota bene dormivit & evigilata nullum aliud incommodum qvam modicam ſpasmodicam conſtrictionem extremitatum inferiorum; abdominis conſtitutio naturalis reddita erat, os aperiri, lingvaqve extendi potuit, pulſus antea ſemper celer jam naturalis obſervabatur & alvus ſponte fluxerat, die 28vo levis dolor ſpasmodicus in dorſo ſentiebatur, & ſolutio opii modo trihorio porrecta fuit die 2do Julii ſpasmi omnes ſilebant & in cunctis ægrota convaluit, prophylaxeos gratia ſolutio opii tamen ter indies paucis adhuc diebus porrigebatur, dein prorſus ſepoſita fuit, ſana tamen noſtra permanſit, itaqve noſocomium reliqvit, ex hac hiſtoria diſcimus 1. tetanum e dolorifica affectione nervorum ortum trahere poſſe ex. gr. odontalgia, 2. tetanum componi non modo permanentibus ſpasmis ſc. maxillarum & dorſi ſed etiam tranſitoriis reliqvarum partium & artuum, 3. opium huic morbo ſalutiferum eſſe remedium, ſenſim qvoad doſin augendum eſſe itaqve tutò ad magnam qvantitatem, uti apud noſtram ad grana triginta ſex nycthemero exhiberi poſſe, 4. tetanum noſtrum qvaſi critico tempore ſc. vigeſimo primo die & qvaſi critico modo ſc. ſubitò

ceſſa-

ceſſaviſſe; an ſimilis eventus in aliis tetani exemplis exſpectari & præſagiri poteſt?

10. Motus involuntarius apud juvenem 17 annos natum qvatuordecim diebus membra, mox unum, mox alterum præſertim ut referebatur in latere ſiniſtro & faciei muſculos agitaverat; æger alias ſemper ſui ipſius conſcius nullibi dolorem ſentiverat, alvi fluxu & appetitu naturalibus gaudebat, nec aliam, ni refrigerium eſſet, morbi cauſam indicare valebat, ſuſceptum in noſocomio ægrotum curatius obſervantes invenimus, motus illos irregulares, vere ridiculos in qvibuscumqve corporis partibus potiſſimum ſeſe exſerere, qvoties æger earundem motum voluntariò intendebat, ſtans nimirum vacillabat ſumme ebrioſi hominis adinſtar; ſimiles geſticulationes ambulationem reddebant difficilem, minantem tamen lapſum nunqvam fecit; dum locuturus eſſet, muſculi faciei & labiorum in motus miros & ineptos citabantur, ita ut vix unum, alterumve verbum difficile intellectu pronunciare valeret; ſub deglutiendi niſu lingva extendebatur varioqve & inutili agitata motu; multæqve in muſculis oris & faucium contractiones deglutitionem potius impedientes qvam promoventes obſervabantur, adeo ut ſumma cum moleſtia ingerendi aliqvid deſcenderet; in lecto de-

cum-

cumbens artus mox ſuperiores mox inferiores, caput itidem & truncum vario modo agitabat & flectebat, & vix unqvam prorſus qvietus deprehendebatur; ante introitum hirudines in temporibus, emetica & moſcus in uſum tracta fuerunt; poſt adventum venæſectio inſtituta fuit cum ex acerbatione morbi, aliàs moſcus, oleum animale dippelii, liqvor nervinus, aſſa fœtida, interpolata laxantia, clyſmata, pediluvia, opium ipſum ſucceſſive per tres hebdomades porrigebantur verum cum incremento mali & inſomnia fere continua; tandem balneum frigidum ad totum corpus præſcripſi, proxime inſecuta nox ſolitò qvietior erat cum ſomno, qvapropter hoc auxilium alternis diebus repetitum fuit, intùs præterea decoctum chinæ ad uncias octo cum liqvoris nervini drachmis duabas porrigebatur ad cochlearia duo bihorio, qvali medela morbus ſenſim decreſendo intra tres hebdomades ſanabatur. Convulſivus hic morbus ſimilis fuit ſcelotyrbæ Sauvagii ſ. choreæ ſt. viti Sydhameni, hujus tamen vidi alia exempla ad latus alterutrum imprimis ſiniſtrum reſtricta, præſens notabilior fuit caſus qvippeqvi ad omnes muſculos ſeſe extendebat, & qvidem eò majore attentione dignus, qvatenus remedia & qvæ non juvant, & qvæ juvant, nos edocet.

JULIUS.

1. Febris bilioso-putrida 67 personas detinuit; in plurimis sc. 43 hæc solita biliosa & modici gradus ferè meris evacuantibus vincebatur; apud duos continua febris in periodicam mutabatur; qvædam post emeticum decimo morbi die porrectum, ejusdemqve effectum gravi corripiebatur dolore oppressorio cardiæ pressionem externam non tolerante cum vomitu spontaneo, atqve dyspnœa insigni; insequenti die, qvamvis vertigo & debilitas notabiles essent, bis tamen extraxi sangvinem phlogisticum; tertio die sangvis adhuc semel ejusdem indolis mittebatur, & ob debilitatem increscentem periculum e crebriore phlebotomia minantem vesicatorium cardiæ admotum fuit; qvarto die nullus sentiebatur dolor, postea tamen iterum accusatus, verum modicus, non febrilis, qvi per mixturam aperientem ter indies & pilulas resolventes mane & vespera sumtas spatio trium hebdomadum tollebatur; qvod antea monui, hoc comprobatur exemplo: sc. dolorem cardiæ saltem notabilioris gradus & perseverantem post emesin artificialem ortum vel adauctum

inflammatoriæ judicandum eſſe indolis, illiqve accommodata medela tractandum. Qvidam vomituritione & vomitu ſpontaneo affligebantur; hoc reſpectu præſertim memorabilis fuit, vir 27 annorum octiduo, cum ad nos venit, ægrotans & cæteris ſolitis ſymptomatibus & vomitu freqventi ſpontaneo bilioſo, alvoqve modice laxa, emeticum jam porrectum erat, nona nocte, qva nullam medicinam præbui, vomitus alviqve fluxus perſiſtebant; liqvor nervinus ideo omni porrigebatur hora, verſus veſperam vomitus ceſſat, alvus modò ſemel hoc die aperta, maculæ urticatæ, prurientes paſſim in corpore apparent; die decimo & nocte prægreſſa vomitus modo bis, ſitis inſignis, alvus parce aperta, clysma e decocto avenæ applicatur; die undecimo icterus provenit cum dolore cardiæ & intercurrente ſingultu, vomitus ſilet, urticæ evanuerant, pulſus vix celer elevatus, urina retenta cum ſtranguria, per catheterem educta, dein ſponte procedens, cremor tartari alternatim cum mixtura camphorata acida exhibitus fuit; die 13tio ſingultus continuat freqvens moleſtus, lingva exulcerata, alvus naturalis, loco alterius medicinæ infuſum ſ. decoctum radicis Saleb bihorio ad cochlearia duo majora propinatur, inſeqventi die ſingultus ceſſabat & elapſo triduo ictericus color in naturalem vertebatur, atqve

æger

æger ad numerum convaleſcentium adſcriptus fuit; inter primos effectus epidemiæ cholericæ, qvam ſeqventibus menſibus increbeſcere monſtrabimus, hic caſus fuit; vomitum freqventem bilioſum, dolorem cardiæ, ſingultum, ſitim inſignem, exulcerationem lingvæ alteri cauſæ, qvam acri & depravatæ bili in primas vias agenti imputare neſcio, nec minus probabile eſt, maculas urticatas, icterum, urinam acrem ſtranguriæ efficientem e bilioſo irritamento per vomitum remediis ſuppreſſum retento & dein reſorpto derivare; aptior forſan fuiſſet medicatio, qvæ evacuationis viam a natura præmonſtratam ſecuta emeſin repetierat. Putridam febrem unius menſis in fœmina 44 annos nata finivit ulcus latum & profundum lumborum largiſſime ſuppurans, poſt duos demum menſes ad conſolidationem tendens ſub accedentibus tuſſi, raucedine, dolore pectoris dextri verè inflammatorio, ad qvem tollendum in emaciato licet & debili ſubjecto ſexies repetita venæſectio opus erat, verum reſtitit tuſſis cum ſputo purulento, decrementoqve virium tántum per ſex hebdomades attingente gradum, ut ſpes reſtitutionis prorſus deperdita videretur; tunc autem ſcabies ſponte provenit, ſub cujus efflореſcentia intra menſem facta & finita pectus qvotidie in meliorem & demum ſanum ſtatum reſtituebatur; probabile eſt,

materiem purulentam per conſolidationem metaſtatici lumborum ulceris qvamvis lente promotam ad pectus directam fuiſſe, & primò inflammationem atqve expectorationem produxiſſe purulentam, qvæ tandem felici ſydere ad cutem transpoſita, & ſub forma ſcabiei evacuata fuit. Qvinqve moriebantur, duo ob meram debilitatem, duo ob metaſtaſin ad pectus, qvorum unus verſus finem largum ſangvinem expectorabat; qvintam qvatuordecim diebus ante introitum ægrotantem inveni valde debilem cum obauditione, lingva ſicca, cruſta nigra obducta, pulſu celeri debili, vomitu ſpontaneo aliqvoties ſub morbo reverſo, atqve alvo laxa; decoctum chinæ cum liqvore nervino atqve veſicatoria in ſuris applicabantur, ſeptiduo inſeqventi ſtatus manebat idem cum vomitu crebro bilioſo, poſthac tuſſis ſicca moleſta jungebatur, expectorationem forſan criticam inſtare credens, kermes minerale cum moſco alternatim cum decocto chinæ præbui, verum absqve effectu; die 23tio lingva aphtoſa, tuſſis & alvi laxitas ceſſaverant, delirium accedit, ſub qvo nec per veſicatoria nec per hirudines temporales domando dies 32dus morte finitus fuit; veroſimile eſt materiam morbi initio primis viis inhæſiſſe, eandemqve dein ob defectum tempeſtivæ & ſufficientis evacuationis reſorptam & ad pectus directam fuiſſe, excretione autem

per

has vias etiam denegata, tandem encephalum petiiſſe cum effectu letali, nec ideo improbabile eſt larga expurgatione tubi inteſtinalis initio inſtituta proſperiorem eventum productum fuiſſe; nonne autem periculum evacuationis ſub tanto licet, qvi ad introitum aderat, debilitatis gradu faciendum eſſet & ægrotam forſan ſervaſſet?

2. Febres intermittentes nonnullæ tertianæ vel qvotidianæ, benignæ indolis, ſalinis & emetico communiter devictæ; apud qvendam vertigo periodica febri tertianæ ordinariæ ſuccedens, ejusdemqve vices ſubiens cortice fugabatur. Miles 24 annos natus poſt tertianam in noſocomio militari ſanatam, tribus dein menſibus permanſerat valetudinarius cum tumore œdematoſo crurum, dyspnœa imprimis ſub motu & incurvatione corporis, doloreqve nonnullo hypochondrii dextri; mixturam aperientem ter indies & pilulas ad hydropicos mane & veſpera porrexi; poſt qvinqve dies & ſub alvi laxitate modica abdomen & pectus reſtituta erant, tumorqve ſublatus, dolor autem extremitatis inferioris ſiniſtræ ſucceſſit, poſt qvatuor dies etiam dextram occupans & brevi dein ſponte evaneſcens. Affectionem pectoris derivare licet e materia qvadam febris prægreſſæ metaſtatica, qvæ allatæ medicinæ virtute reſolventi

laxante ab inveterata ſede ſoluta & evacuata fuit.

3. Inflammatorii morbi pauci: Vir 37 annos natus, triduo, cum ad nos venit, afflictus erat dolore conſtanti abdominis cum obſtipatione alvi & retentione flatuum, pulſuqve celeri tenſo, vena jam ter ſecta erat, camphorata exhibui & triduo inſeqventi ſexies e vena ducebatur phlogiſticus ſangvis, veſpera ſextæ diei dolor abdominis prorſus ceſſaverat & flatus deorſum exibant, qvapropter clysma oleoſum applicitum obſtipatam alvum ſolvebat; 7mo die dolor novus ſurgebat ſat gravis in regione iliaca dextra cum retentione flatuum, per tres ideo inſeqventes dies adhuc qvinqvies opus erat ſecare venam, poſthac dolor omnis evanuit, alvus ſponte fuit aperta, & æger convaluit. An præmatura clysmatis applicatio relapſus fuit cauſa? Huc forſan pertinet hiſtoria viri, qvi ad nos ductus jam novem diebus ægrotaverat gravi lumbagine & alvi obſtipatione continua, qvæ tamen die introitus converſa erat in laxitatem cum dolore abdominis, dejectione mucoſa ſangvinea, ſapor erat malus & lingva ſordida, initio emetica, aliàs mucilaginoſa per os & anum largiſſime ingeſta, venæſectio ob enormem lumbaginem crebro inſtituta nullam morbi mutationem producebant; die qvinto poſt introi-

troitum ſ. decimo qvarto morbi larga copia puris per anum deponebatur, priſtina tamen dejectio mucoſo-ſangvinea dein continuabat cum adjuncto vomitu freqventi imprimis fluidorum atqve ſingultu; gummi arabici larga copia & piſcibus cum pane albo loco alterius alimenti ob intolerantiam liqvidorum perſiſtentem ingeſtis poſt qvatuordecim dies alvus reddebatur naturalis, & ſingultus ſilebat, vomitus tamen intercurrebat & dolor accuſabatur inteſtini recti imprimis ſub depoſitione alvi, dolore hoc tres dies adaucto ſupervenit novus effluxus largus materiæ purulentæ per anum, ejus dein loco copioſus ſangvis fluere pergebat, qvinimo per os & nares; decoctum chinæ cum ſpiritu vitrioli haud inhibere valuit hoc profluvium, qvod qvatuor elapſis diebus per apoplexiam funeſtam finiebatur. Vix melius hic caſus declarari poteſt qvam ex inflammatione inteſtini coli deſcendentis demum in abſceſſus converſa; vomitus & ſingultus conſenſui nervorum imputabuntur, ſangvifluxus ex ano vaſis ibidem eroſis adſcribi poteſt, ſimile autem per alias vias profluvium atqve apoplexiam e reſolutione ſangvinis per reſorptum pus producta deducere haud abſonum videtur; ſectio cadaveris, qva ratiocinium noſtrum ſine dubio confirmatum eſſet, ob cauſam, qvam haud recordor, omiſſa fuit.

4. Proctalgiam ſ. dolorem inteſtini recti admodum gravem imprimis ſub exoneratione alvi, eidemqve reſiſtentem qverebatur fœmina, facta per chirurgi intromiſſum digitum exploratione inveniebatur & extrahebatur os piſcis cujusdam ſat magnum, itaqve dolor tollebatur, ægrota tamen per menſem alimento e piſcibus haud fructa erat.

5. Vomitus cruentus qvadragenarium ante qvatuor dies invaſerat, altero die ſilens, tertio reverſus, ita ut non modo ſurſum larga ſangvinis grumoſi copia, ſed qvoqve per anum excrementa nigerrima ſine dubio cruenta ejecta fuiſſent; die qvarto, qvo ad nos venit, itidem ſangvinem vomuerat æger mentis, ut videbatur haud ſatis compos nilqve aliud qverens, qvam nauſeam horrendam vomitum ſolito præcedentem; pulſum exilem inveni; dolor colicus medii abdominis inconſtans antea afflixerat; menſis autem ſpatio ante invaſionem præſentis morbi per liqvorem nervinum fugatus; mixturam acidam præſcripſi initio crebrius ſumendam dein rarius, poſt biduum mens rediit, excrementa naturalia partim per ſe partim clysmatis ope evacuabantur, vomitus haud redibat, ſeptem transactis diebus dolor, qvem antea paſſus erat, e novo accuſabatur partim medii abdominis, partim regionis lienalis ſub minimo

motu

motu corporis ſeſe exſerens, tumor œdematoſus crurum ſimul jungebatur; liqvor nervinus ter vel ſæpius per diem atqve pilulæ reſolventes ad grana qvindecim mane & veſpera & dolorem & tumorem bimeſtri ſpatio tollebant. Culpa mali haud inepte tribuitur lienis infarctui, ob qvem impeditus in vaſis abdominalibus circulus & diſtenſionibus dolorificis & dilatationi hæmorrhagicæ anſam præbere potuerat.

6. Supraumbilicalis regionis dolore oppreſſorio ſex ſeptimanis laboravit fœmina qvadragenaria cum incremento mali poſt ingeſtos cibos & ſub incurvatione corporis, dyſpnœa, alvo valde ſegni, colore icterico, tumore œdematoſo crurum tribus hebdomadis adjuncto, menſtrua erant regularia; facta per aliqvot dies mediante pulvere e cremore tartari, nitro & rheo primarum viarum expurgatione in uſum trahebantur mixtura aperiens ter indies, pilulæ reſolventes cum aloë ad grana qvindecim mane & veſpera, atqve ungventum neapolitanum extus applicitum in regione hepatis, qvibus per duos menſes adhibitis ſanitas reſtituta fuit.

SECTIONES:

7. Putrida febre gravioris gradus liberatæ & convaleſcenti fœminæ 52 annos natæ

ſupervenit tumor œdematoſus crurum. Huic poſt aliqvot dies ſponto evanido mox ſucceſſit debilitas notabilis cum dolore omnium artuum pulſuqve febrili, applicita in ſuris veſicatoria, roborantia ſc. decoctum corticis & camphorata tumorem revocabant & ſtatum febrilem tollebant, ægrotæ ita e novo revaleſcenti contra ſuperſtes œdema diuretica præbui, qvibus tantummodo biduo adhibitis ſupervenit apoplexia ſubito letalis. Perluſtrato cadaveris cranio ſinus ſangvine valde turgeſcentes inveniebantur atqve ſerum largum in baſi cranii & theca vertebrarum extravaſatum; nonne materia metaſtatica ad crura depoſita primo retrogreſſu febris recidivatum & altero ad crebrum converſa apoplexiam induxiſſet; firmior hinc me judice redditur cautionis regula in metaſtaſi ad partes externas facta abigenda, imprimis cum periculum ex illius repulſione, ut in noſtra jam compertum ſit.

AUGUSTUS.

1. Febris bilioſo-putrida valde freqvens; ſimplex bilioſa 22, cholerica ſ. nova illa epidemi-

demica jam increbreſcens 13 & vere putrida 39 perſonas detinuit. Ex his cholericas nuncupo febres, qvibus præter ſymptomata ſolita bilioſa jungebantur vomitus freqvens & ab ingeſtis & ſpontaneus bilioſus nec non diarrhœa communiter non dolorifica, atqve ſitis inſignis; tria hæc conſtantia ſymptomata eſſentialem morbi caracterem conſtituebant; alias in multis dolor artuum unius vel pluriūm morbum ab initio vel in progreſſu comitabatur, facies in plurimis flaveſcens imo icterica apparebat, in nonnullis ſingultum obſervavi; non paucos ſpontanea illa evacuatio qvatuordecim diebus anteqvam noſocomium ingreſſi erant, moleſtaverat, nondum tamen perfecta; fere omnibus devicto morbo crura notabiliter tumeſcebant. Molimina naturæ haud impedire ſed arte convenienti imitari & perficere generalis medendi regula erat, per experientiam comprobata, adeoqve laudabilis, ut nemo non hac methodo ſanatus fuerit, evacuatione ſpontanea qvamvis diu & largiter peracta & durante, ita ut fomitis morboſi vix aliqvid reſiduum crederetur, eandem promovere opportuit, donec naturæ eo tendentia conamina ceſſaverint, rarò ſimplice vice emeſin citare ſatis factum erat, qvandoqve autem una vel duabus interjectis diebus idem repetendum erat auxilium, accidit etiam ægrotos abſoluta tali expurgatione con-

vale-

valeſcentes apparere, bonoqve appetitu gaudere & tamen absqve cognito diætæ vitio in priorem morbum poſt aliqvot dies incidere, & priſtina medicina opus habere. Si adjuncta diarhœa modica fuerit, pulvis emeticus ſolitus, ſi illa notabilior eſſet, radix ipecacuanna ſola mihi in uſu fuit, diebus ab emeſi liberis potio larga diluens medicinæ locum ſubiit; debilitatis ergo factis evacuationibus apud nonnullos ſuperſtitis deſideratum & adhibitum fuit decoctum corticis peruviani aut acidum aut ſi diarrhœa perſiſteret, ſimplex cum liqvore nervino maritatum. Putrida vera laborantium qvibusdam poſt inſtitutam licet, qvantum vires permittebant, evacuationem lingva tamen ſordida manebat, hiſce ſi alvus naturalis vel ſtrictior obſervaretur, præbui cremorem tartari alternatim cum decocto chinæ acido, donec lingva purior facta & alvus modice ſubducta fuerit. Cuidam febri petechiali afflicto cum adjuncta diarrhœa dolorifica jam decem dierum poſt ſumtam tincturam catarcticam exorta, atqve ſapore putrido, præmiſſa ſine juvamine ipecacuanna exhibui pulverem gummi arabici alternatim cum decocto chinæ acido, itaqve intra paucos dies diarrhœam abegi ſimul cum periculo morbi. Apud alterum undecimo morbi die parotis dextra intumuit cum mitigatione ſymptomatum; veſicatorio in brachio ejus-

dem

dem lateris impoſito, ejusdemqve ſuppuratione per aliqvot dies promota, atqve pulvere eccoprotico tonico qvotidie ad modicam alvi laxitatem porrecto ſenſim absqve inſeqventi malo ille tumor diſſipatus fuit; in alio circa diem octavum grave inſurrexit delirium ſangviſugio temporali mox debellatum, nono tamen die furioſum redditum, adeo ut venam ſecare conſultum duxerim, qvo facto mox accesſit ſomnus qvietus profundus qvinqve diebus continuis ſponte non ceſſans, excitatus æger oculum dextrum ſemper clauſum habuit; nocte decima ſexta frigus notabile invaſit, illiqve mox ſucceſſit tumor dolens parotidis ſiniſtræ, a qvo tempore ſomnus enormis ceſſabat, veſicatoria artubus antea applicita largiter ſuppurare pergebant, alvus ſponte aliqvoties per diem fluxit, ſub qvibus evacuationibus parotis ſenſim decreſcendo intra octo dies prorſus evanuit, interea autem naſcebatur tuſſis valde moleſta initio ſicca ſub uſu decocti chinæ cum ſenega & kermis mineralis humida reddita & tandem abacta; notabile aptumqve hoc puto exemplum ad metaſtaſin, ejusdemqve mutabilem ſedem docendum & probandum; qvid enim cogitare vero ſimilius eſt? qvam materiam morbificam mediante febre a maſſa humorum ſeparatam primum encephalum petendo produxiſſe delirium, qvod fracta per ſangvinis

misſiones irritatione in caroſum ſomnum tranſiverat, eandem dein valida reſorptione per frigus notabile hujus ſolitum effectum deſignata ab encephalo remotam, & altera vice ad parotidem translatam, atqve hinc tandem ad pectus depoſitam, atqve ſalutari expectoratione evacuatam fuiſſe. Num etiam ad prognoſin ille caſus inſervit? num e ſomno tali inſtantem parotidem præſagire licet? & num præcluſio unius oculi illam metaſtaſin in oppoſito latere futuram indicat? Tres moriebantur qvidam 57 annos natus, cui poſt ſomnum multum die vigeſimo ſexto prope angulum oris ſiniſtrum formabatur tumor notabilis, inſeqventi autem die prægreſſo frigori inſigni valde minutus & tertio die prorſus evaneſcens, ſtupor poſthac & debilitas ſub præſenti illo tumore in melius ſpectantia e novo ingraveſcebant, nec ſpontanea alvi laxitate, nec veſicantium ſuppuratione, nec alia convenienti arte, ſed tantum morte die 34to incidente tolli poterant, etiam in hoc caſu ſomnus enormis metaſtaſin ad capitis partes & frigus reſorptionem metaſtaticæ materiæ deſignabant. Simili mihi obvio tumori an cataplaſma emolliens confeſtim imponerem? hujus auxilii ancipitem vim & noxiam materiam alliciendi & eandem reſolvendi atqve ad damnoſam reſorptionem disponendi expertus potius forſan

omit-

omittendo non juvare qvam committendo nocere eligi. Altera poſt introitum agoniſans reperta, inſeqventi die decimo ſc. tertio morbi exſpiravit. Tertius 25 annos natus die 16to morbi ad noſocomium ductus præter ſymptomata putrida ab initio laboravit diarrhœa non dolorifica, faucium affectione moleſta cum deglutitione qvodammodo difficili, cardiæ conſtanti dolore preſſionem non tolerante, ſingultuqve octo dierum, lingvam inveni ſiccam, fauces intenſe rubeſcentes & aphtis obſitas, pulſum celerem parum tenſum, maculas petechiales in pectore & brachiis, reſpirationem anheloſam moleſtam; emeticum ter præbitum fuit ante introitum & vena pridie ſecta; mixturam camphoratam non acidam cum appoſitis moſco & mucilagine gummi arabici alternatim omni hora cum decocto chinæ ſimplici porrexi, & veſicatorium cardiæ impoſui, inſeqventi die decoctum chinæ qvia evomuit, ſepoſuit; die 18vo hæmorrhagia narium, reſpiratio magis anheloſa, dolor cardiæ ſublatus, alvus haud aperta, ideo clysma & decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura camphorata, moſcata, die 19no alvus iterum laxa, ſtupor enormis, veſicatoria in ſuris & decoctum chinæ ſimplex cum liqvore nervino in uſum trahebantur; die 20mo alvus adhuc laxa, ſangvinolenta absqve tuſſi exſcreata; die 21mo efflorescentia rubra tuberculo-

culoſa per totum corpus erumpit, reſpiratio admodum difficilis, conatus deſidendi freqvens abs effectu & nocte ſeqventi mors. Putrida humorum reſolutio notabilis gradus me judice præcipua, ſi non unica eſt cauſa, unde gravia hujus morbi ſymptomata derivari poterant, cui forſan convenerit largior, qvam præbita, acidorum qvantitas, neqvidem ob diarrhœam præſentem timenda, utpote anceps caſus ancipitem, dummodo ſufficiens judicari poteſt, medelam admittit.

2. Febres ſcarlatinoſæ putridæ nonnullæ; apud qvendam maculæ petechiis ſimiles nono die apparebant, dolor faucium modicus adjunctus erat, reliqvus morbi ſtatus ſolitus putridus die 21mo finitus; decimo qvarto abhinc die deſqvamatio epidermidis obſervata fuit; in altero putrida laboranti absqve dolore faucium aut ullo exanthemate circa diem 14tum convaleſcenti poſt idem elapſum tempus cuticula deceſſit; hujus collega chirurgus ſimili morbo afflictus in noſocomio decubuit, cui nono die intumuit parotis, ſenſim major reddita, nullo modo diſſipanda, felici tandem ſuppuratione ſublata, duo alii poſt viginti dies a putrida liberati ſimul lingvam aphtoſam habuerunt, verum nullum dolorem faucium aut efflorescentiam cutaneam, attamen deſqvamatio ut in ceteris ſucceſſit.

Fe-

3. Febres ſcarlatinæ ſimplices non paucæ; efflorescentia altero morbi die communiter provenit, apud unicam primo, in altera qvinto, & apud alium ſexto morbidie, in hiſce duobus morbus ſeptimo die finitus fuit, in reliqvis ſ. plurimis qvintus dies febrem terminabat, id eſt tunc ſomnus rediit & pulſus antea valde celer retardatus fuit; graviter affectis faucibus hirudines circa laryngem & veſicatorium in nucha opem attulerunt. Quidam octodecim annos natus ſolito alias modo ægrotans mox primo die per totum corpus intenſa tingebatur rubedine, hæc die introitus ſ. tertio morbi evanuerat & confeſtim moleſta pectoris oppreſſio, tuſſis & ſputum ſangvineum ſurrexerant, ſangvis eodem die e vena miſſus fuit, & mixtura nitroſo-camphorata exhibita, qvarto die repetebatur phlebotomia, qvinto die ſymtomatibus pectoris evaneſcentibus ſucceſſit moleſta cephalalgia per qvinqve dies laxantibus & ſangviſugio temporali fruſtra tentata, dein verò per veſicatorium in nucha applicitum ſublata, cuticula qvatuordecim diebus ab acceſſu morbi elapſis deſqvamabatur. Una moriebatur, qvatriduo, cum ad nos venit, ægrotans dolore gravi faucium, cephalalgia, ſapore malo, pulſu celerrimo, alvo ſub morbo clauſa, lingva ſordida, eadem veſpera clysma, hirudines circa laryngem,

catorium nuchæ, gargariſma acidum, mixtura camphorata in uſum trahebantur, die qvinto deglutitio bona, reliqva eadem cum aliqvali deliratione & ſordidiſſima lingva, emeticum porrexi, cujus effectus erat modicus vomitus ſed larga catharſis, verum absqve mitigatione, qvinimo ob delirium valde aggravatum verſus veſperam hirudines temporibus applicabam; inſeqventi tamen nocte apoplexia cito funeſta ſupervenit. Ex duabus hiſce hiſtoriis me judice patet, ſcarlatinoſam materiam ad internas converti poſſe partes, indeqve juxta nobilitatem affecti viſceris & vim afficientes cauſæ vel grave periculum vel ipſam mortem procreari.

4. Poſt ſudorem pedum foetidum tribus annis conſvetum & remediis externis ſuppreſſum oriebatur in foemina 38 annos nata dolor capitis jam tribus hebdomadis durans cum memoria læſa & intercurrente aliqvali aberratione mentis, pediluvio crebro, camphoratis imprimis liqvore nervino intra tres ſeptimanas revocatus fuit pedum ſudor, & caput reſtitutum.

5. Cardiæ dolor conſtans preſſionem externam haud tolerans cum adjuncta & dein adaucta dyſpnœa, nec non exacerbaitone poſt ingeſtos cibos & ſub incurvatione corporis

per

per aliqvot menſes perſonam qvandam afflixerat, intereaqve dolor vagus extremitates ſæpe moleſtaverat, qvem ſtatum affectio dolorifica pectoris cum tuſſi & raucedine immediate prægreſſa fuerat; veſicatorium cardiæ applicitum aliqvale levamen producebat; liqvor nervinus bihorio ſumtus ſenſim trunci mala fugabat & dolorem artuum fixiorem reddebat, hic dein veſicatoriis ſed fruſtra tentatus ſolutione gummi gvajaci aqvoſa profligatus fuit; indolem doloris hujus epigaſtrici rheumaticam partim e concomitante affectione artuum præſertim verò e ſucceſſione poſt pectoris catarhalem ſ. rheumaticum morbum deduxi, illamqve diagnoſin morbi progreſſus & eventus confirmavit.

6. Tumor ſat notabilis totius abdominis, æqvabilis, elaſticus, haud dolens neqvidem a preſſione fortiori apud militem 25 annos natum per aliqvot dies præſto erat, ortus poſt incommoda nonnulla pectoris, oppreſſionem moleſtam, dyſpnoeam, tuſim per applicitum veſicatorium fugata; pectoris verò affectio dolori hypocondrii ſiniſtri qvatuor hebdomadum ſucceſſerat; alvus & appetitus & reliqva naturali modo ſe habebant; multa per tres menſes amara adſtringentia, diuretica, præſertim cortex, rheum, aſſa fetida, martialia, veſicatorium magnum abdomini; incaſ-

ſum tentabantur; poſthac apparente ſcabie balneum magnum tepidum, cremor tartari & pulvis pectoralis reſolvens ana ad cochleare modicum mane & veſpera atqve liqvor nervinus ter qvaterve interdiu in uſum trahebantur, qvibus abdomen ſpatio trium hebdomadum ſenſim adeo detumuit, ut officium militare iterum ſuſcipi poſſet. Nonne inculpanda eſt materia ſcabioſa, qvæ ſede & tranſpoſitione varia allatos affectus primo ſc. hypochondrii, dein pectoris, tandemqve abdominis ſucceſſive induxerat?

SECTIONES.

7. Febre qvotidiana trium hebdomadum afflictus vir 49 annos natus pridie ante introitum ſub paroxyſmo febrili corripiebatur oppreſſione pectoris cum tuſſi moleſta, ſputoqve mucoſo- ſangvineo, verum absqve ullo dolore circumſcripto; ob pulſum celerem tenſum & ſtatum morbi non mutatum per ſex inſeqventes dies ſangvis ſepties miſſus & phlogiſticus repertus fuit, alias emulſio camphorata & veſicatorium magnum in pectore adhibita ſunt; die qvinto ſingultus accesſit cum reliqvis ad diem mortis ſ. octavum morbi continuans, alvi fluxus ſemper naturalis ultimo biduo involuntarius erat. Aperto ca-

da-

daveris abdomine ſerum nonnullum effunde-batur, inteſtina qvamvis naturalis indolis materia tamen purulenta pasſim obducta & mediante illa cum ſe invicem agglutinata erant, maxima puris copia circa hepatis convexam ſuperficiem & diaphragma hæſit, nec tamen in hisce partibus ullum inflammationis veſtigium apparuit; cavitas utraqve pectoris ſerum largum flaveſcens continebat, qvale extravaſatnm etiam in pericardio abundabat, in pulmonibus ipſis nullum vitium obſervatum fuit. Nonne materia morboſa ſub paroxyſmo febrili per cutem evaporanda illius loco internas petierat cavitates, itaqve in pectore effuſa hujus ſymptomata gravia inflammationis ſpeciem præ ſe ferentia induxit? flavus reperti liqvidi color huic opinioni conſentit. Qvamnam verò purulenta in abdomine præſens materies originem habuit? nec vivenre ægroto nec in illo demortuo detecta fuerunt inflammationis ſigna, unde generatio puris abdominalis deduci poterat, numne autem metaſtatico modo materia talis alibi generata ad imum ventrem traducta & depoſita fuit? verum etiam huic ſuppoſitioni obſtat morbi decurſus, viventis enim moleſtiæ nullibi deſignabant inflammationem, qvam in pectore, attamen illius veram exiſtentiam extiſpicium denegabat, ni ſtatuendum eſſet, materiem acrem circa pulmones effuſam inflammatorium pro

duxiſſe ſtatum, qvi poſt mortem licet non detegendus humoribus tamen purulentam indolem inferre valuiſſet.

8. Febre continua foemina 35 annos nata qvatuordecim diebus afflicta fuit cum dolore punctorio pectoris ſiniſtri, triduo ultimo in preſſorium mutato, nec non tuſſi ſicca, brevi, dyſpnœa notabili, decubitu tantum in latere affecto tolerabili; octiduo fauces dolebant cum deglutitione difficili, lingvam aphtoſam vidi, bimeſtri ſpatio præſentem morbum ſtatus valetudinarius cum tuſſi ſicca & dyſpnœa præceſſerat, nocte introitum proxime ſeqventi ægra moriebatur. Aperto cadaveris pectore inſignis copia ſeri clari in cavitate utraqve imprimis dextra inveniebatur, pulmo ſiniſter cum coſtis pro parte coalitus erat mediante membrana craſſa dura, in qvam pars pulmonis ipſius converſa videbatur, reliqvus pulmo ſchirroſus erat; in abdomine omentum valde pingve prolongatum ad pelvim, ibidemqve cum ovariis in utroqve latere coalitum.

9. Vomitus plurium ingeſtorum cum ſenſu moleſto preſſorio cardiæ atqve intercurrente dolore lancinante abdominis præſertim regionis infraumbilicalis virum 40 annos natum dimidio anno cruciaverat & ad contabe-

ſchen-

ſcentiam notabilem perduxerat; alvus interea ſegnis fuerat, lingvam inveni puram, pulſumqve celerem tenſum; qvinqve in noſocomio hebdomades præteribant, anteqvam tabes letalem terminum complevit, vomitum uno alterove die abſentem, alias qvotidie ſæpius recurrentem obſervavi, fluida tantum ingerebantur, alvus per ſe ſegnis ſyrupo e manna cum appoſito oleo ſolvi poterat, ultimis vitæ diebus aphtæ comparebant. Aperto cadaveris ventre larga copia ſeri flavi effluxit; inteſtina omnia & peritoneum nigreſcebant, tenuia naturalis diametri, craſſa contracta, omentum in maſſam duram tuberculoſam commutatum & verſus ſymphyſin oſſis pubis cum peritoneo fortiter coalitum, ventriculus minimus craſſus durus ſchirroſus, hepar magnum induratum inveniebantur, probabile eſt, tantam itaqve univerſalem corruptionem primum traxiſſe ortum ab inflammatione lenta tempeſtive haud cognita nec rite juvata; inteſtinorum tamen & peritonei præternaturalis ſtatus, ſine dubio tardior fuit effectus validæ compreſſionis per reliqva viſcera dura ponderoſa.

SEPTEMBER.

1. Febre bilioso-putrida 83 laborabant; apud qvindecim febris cholerica obſervabatur, modo ſupra deſcripto decurrens, repetitis emeticis devicta ſuperſtes qvandoqve alvi laxitas decocto chinæ cum liqvore nervino tollebatur; in pluribus œdema notabile extremitatum inferiorum morbum ſeqvebatur caute nec ſtatim diureticis debellandum, nam febris inde reſurgentis exempla aderant; apud duas cuticula deſqvamabatur, qvamvis indicia ſcarlatinæ ſolita, ſc. exanthema & dolor faucium haud præſto fuiſſent, qvædam 41 annos nata qvatuordecim diebus ante introitum ægrotaverat vomitu & diarrhœa dolorifica ab omnibus ingeſtis revocatis cum ſiti inſigni, emeticum initio morbi porrectum erat, pulſum exilem inveni, infuſum ſ. decoctum radicis Saleb bihorio ſumtum poſt duos dies vomitum ſedabat, dein contra alvi laxitatem dolorificam tentabantur pulvis gummi arabici decoctum album, anima rhei cum liqvore anodyno minerali, imo pulvis gei urbani per 17 dies incaſſum tentabantur, ingeſta enim mox dolorem abdominis ſuſcitabant durantem, donec per alvum rejecta eſſent; emul-

ſionem

ſionem ideo camphoratam præbui alternatim cum pulvere gei ſumendam, a qvo tempore abdominis ſtatus ſenſim melior redditus fuit & intra octo dies prorſus naturalis; dolor nimirum me credere fecit pronitatem qvandam ad phlogoſin, cui debellandæ camphoram adaptatam judicabam. Febres bilioſæ ordinariæ 35 apud multos cholericæ febri ſimiles, adeo ut cruditatum abundantia plura emetica deſideraverit. Febris ſtricte putrida 33 perſonas infeſtavit, factis licet evacuationibus ſæpe tamen ſub uſu roborantium recurrebat vomitus ſpontaneus, qvem tanqvam innocuum, forſan ſalutarem non impedivi; apud plurimos alvus erat laxa uſum decocti chinæ cum liqvore nervino expoſcens, qvidam metaſtaſin patiebatur ad oculos, qvorum unus levem conceperat ſuppurationem fauſte tamen per cataplasma ſaturninum diſſipatam. Apud alium die decimo morbi acceſſit iſchuria per catheterismum ſolvenda, totoqve morbi tempore perſiſtens ſc. ad diem 24tum, qvo æger convaluit, qvædam 41 annos nata nycthemero poſt partum elapſo corripiebatur æſtu notabili cum tumore œdematoſo omnium artuum, ſuſurru capitis, maculis nigris latis numeroſis in pectore, tuſſi cum ſputo ſangvinis nigreſcentis, dejectione alvi liqvida foetidiſſima, urina itidem parum ſangvinea, qvi ſtatus qvatriduo durabat cum lochiis

interea retentis, pulſum celerem tenſum inveni; ſangvis ſemel mittebatur, idemqve obſervatus reſolutus cruſta gelatinoſa molli tectus me ſimul cum ceteris movit ad arripiendum decoctum chinæ, cujus unciis ſex ſpiritus vitrioli drachma appoſita erat, qvod bihorio ad cochlearia duo ingeſtum ſymptomata morbi ſenſim diminuit & intra qvinqve dies prorſus ſuſtulit, maculæ primum brunnæ redditæ tardius diſparebant; hæc febris maculoſo-hæmorrhagica meritò dicenda celeritate pulſus a morbo hujus nominis diſtingvenda eodem tamen auxilio juvabatur; hoc exemplo manifeſte patet, diſſolutum ſangvinem intumeſcentiam corporis œdematoſam producere poſſe. Tres moriebantur ſc. puer 14 annos natus, qvi cum ſolitis putridis ſymptomatibus enormi appetitu gaudebat, die 28vo ſupervenit dejectio copioſa ſangvinis putrida per anum, qvæ ſpiritu vitrioli compeſci neqvibat ſed ad diem mortis ſc. 31mum morbi permanebat; alteram enormis debilitas die 17mo ſ. tertio poſt adventum die e medio ſuſtulit; tertia ob metaſtaſin ad pectus ſexta morbi hebdomade exacta obiit.

2. Anginoſa febre decem afflicti methodo antiphlogiſtica ſolita curabantur, horum qvatuor ſcarlatinoſam efflorescentiam & inſeqventem deſqvamationem ſimul patie-

ban-

bantur, huc referri poſſunt duo ad noſocomium ducti, poſt ſcarlatinam hydropici redditi; alter ſc. puer decem annorum mixtura diuretica, infuſo juniperino, lecti calore brevi ſanatus; alter gravius ægrotans 20 annos natus qvatuordecim diebus poſt ſcarlatinam elapſis correptus tumore totius corporis, nec non oppreſſorio dolore, & expanſione abdominis tamen absqve fluctuatione, alvus, appetitus, diureſis naturali modo ſe habebant, animam rhei aliqvoties die ſumendam & infuſum juniperinum præſcripſi, inſeqventi die ſupervenit tuſſis cum ſputo ſangvinis largo; verum absqve ullo dolore pectoris, pulſus erat celer tenſus, alvus eo die haud aperta; ideo clysma, & emulſio camphorata cum nitro bihorio ſumta in uſum trahebantur; altero die ſtatus idem cum dolore medii pectoris & ſangvis, qvi naturalis indolis erat, mittebatur; die 3tio ſtatus idem, alvus qvinqvies aperta, venæſectio repetita & emulſio camphorata absqve nitro præbita fuit; tunc ſimul obſervabatur, tumorem crurum prorſus ceſſaviſſe, poſteaqve affectionem pectoris ſurrexiſſe, eapropter veſicatoria in ſuris mox applicabantur; biduo abhinc præterito tumor crurum rediit & pectus ſimul omninò reſtitutum fuit; ille dein mixtura diuretica & lecti calore absqve mala ſeqvela diſparuit; hinc diſcimus, ſerum hydropicum retrogredi & ad internas

par-

partes cum gravi periculo deponi poſſe, qvod, ut mihi ex aliis exemplis conſtat, imprimis de tumore ſcarlatinam inſeqvente valet, veſicatoria tunc artubus antea tumidis applicita maximum emolumentum præſtiterunt.

3. Inflammationes nonnullæ imprimis pleuriticæ. Vir 55 annos natus duodecim diebus, cum ad nos venit, pleuritide laboravit, ſputum initio ſangvineum adfuerat dolor pectus dextrum occupans licet minutus continuabat cum ſiti, tuſſi fere ſicca, pulſuqve febrili, nulla cura adhibita erat; veſicatorium pectori applicitum, emulſio camphorata, decoctum ſenegæ, kermes minerale, juſculum ſecalinum ſucceſſive in uſum vocabantur, verum ſenſatio dolorifica pectoris minor, majorve permanebat cum tuſſi, ſputo mucoſo, diarrhœa intercurrente, ſudore nocturno largo nec non ſcabie accedente ſicca usqve ad ſex hebdomades, tunc ſupervenit larga puris fœtidi expectoratio, qvæ ad qvatuordecim dies continuabat, poſteaqve æger prorſus reſtitutus fuit. Haud certum terminum habet ruptura vomicæ pulmonalis, rarior tamen eſt adeo ſerô eveniens. Vir 42 annos natus tribus ſeptimanis laborabat dolore cardiæ conſtanti a preſſione externa & ingeſtis cibis ſolidis notabiliter increſcente cum

ad-

adjuncto vomitu ſolidorum, ſiti, alvo ſegni, ad introitum qvatriduo clauſa, pulſus erat celer tenſus & morbus poſt potum frigidum incaleſcente corpore hauſtum mox obortus, venæſectio iam bis inſtituta erat; adhuc dupla vice ſangvinem extraxi, mixturam camphoratam intus & linimentum volatile extus præſcripſi, qvibus tribus nondum finitis diebus omnis dolor ſublatus erat; nonne hic caſus phlogoſis lenta ventriculi æſtimandus eſſet? Alter qvadragenarius qvinqve diebus ægrotabat dolore conſtanti regionis renalis dextræ extenſo per regionem illiacam ad veſicam urinariam usqve, diureſis interea parca, difficilis fuerat, pulſus vix celer, alvus biduo clauſa, biduo ante hunc morbum dolor medii abdominis afflixerat; tripla venæſectio & emulſio camphorata morbum omnem intra ſex dies profligabant. Rheumaticam hanc judicavi affectionem Lithiaſin mentientem.

4. Paralytica debilitas artuum lateris ſiniſtri poſt epilepſiam ab animi pathemate exorta & jam trimeſtri ſpatio durans per liqvorem nervinum, infuſum florum arnicæ & cucurbitas ſiccas intra menſis ſpatium ſanabatur. Alteri barbitonſori ſubitò absqve absqve cognita cauſa ante qvatuordecim dies ſupervenerat anæſteſia ſ. inſenſibilitas manus dextræ imprimis duorum digitorum minimorum;

rum; allata remedia & balneum vaporis nec non urticatio decem diebus exactis manum reſtituerunt.

SECTIONES:

5. Putrida febre decumbens foemina 39 annos nata uno alterove die ad aſpectum melior facta die 18vo poſt ſomnum qvietum ſubitò corripiebatur dolore preſſorio pectoris & cardiæ enormi ſuffocativo & intra pauca minuta letali. Aperto cadaveris pectore ſerum largiſſimum in pericardio effuſum, nil autem aliud in thorace præter naturam invenimus; in abdomine hepar valde prominebat, debitum volumen longe ſuperans, coloris qvidem naturalis ſed ſubſtantiæ tamen absqve tuberculis induratæ, atqve ſub inciſione multum ſangvinem efiundens, pancreatis infarctus qvoqve obſervabatur, reliqva ſana, probabile eſt, ſerum metaſtaticum circa cor depoſitum motum hujus impediendo citiſſimæ morti anſam præbuiſſe, forſan hepatis inſigne volumen & pondus compreſſione vicinorum ad cauſæ allatæ effectum accelerandum inſerviit.

6. Vomitus apud virum 52 annos natum non ſtatim ſed aliqvot diebus elapſis poſt for-

te

te emeticum contra diarrhœam ingeſtum exortus erat, jam ſex menſibus durans, omnia ingeſta rejiciens ita tamen, ut hæc qvandoqve per aliqvot horas retinerentur, dolor cardiæ ſub preſſione ſemper ſeſe exſeruerat; verum nulla ibidem induratio detegi poterat, alvus ſemper valde ſegnis, pulſum debiliſſimum & corpus maxime emaciatum inveni, adhuc qvatuordecim diebus ſub permanente deſcripto ſtatu æger in noſocomio vixit. Aperto defuncti abdomine mox in conſpectum venit ventriculus enormis magnitudinis infra umbilicum & ad regionem iliacam dextram ſeſe extendens, partim aerem qvi compreſſione difficulter per pylorum deſcendebat, partim copiam magnam liqvidi fuſci odorem valde acidum ſpirantis continens, extremitas ventriculi dextra pyloro vicina ad latitudinem manus contracta, in tota circumferentia ſubtantiam duram, ad pollicis diametrum craſſam habens, longitudinaliter ſecta hac degenerata parte vidimus canalem valde anguſtum, tamen pervium, glandulas multas magnitudine enormi, nucleos æqvantes in ſuperficie interna apparentes, inteſtina admodum contracta erant, liqvidum gelatinoſum præterea in abdomine effuſum erat, in pectore pericardium maxime extenuatum, cor ipſum macilentum minimum invenimus. Nonne ex emetico phlogoſis ventriculi levior qvidem ſed lenta

atqve

atqve permanens, nonne ex hac irritatione affluxus humorum nimius indeqve crasſities præternaturalis & glandularum notabile volumen circa pylorum ita ut contentorum tranſitus per eundem difficilis & impeditus fuerit, nonne e deſcenſu ita impedito contentorum nimia remora, ventriculi ſenſim increſcens expanſio, atqve vomitus ipſe hecticus meritò derivari poſſunt & debent? probabile itidem eſt, illam phlogoſin tempeſtive cognitam curationis per phlebotomiam & camphorata capacem fuiſſe.

7. Dolore regionis epigaſtricæ conſtanti ad hypochondrium ſiniſtrum ſeſe extendente foemina 30 annos nata qvinqve ſeptimanis, cum ad nos venit, laborabat cum vomitu freqventi ab ingeſtis, ſingultu, ſiti inſigni pertinaci alvi obſtipatione non niſi per clysmata ſoluta; menſtrua aliàs rita ſub morbo abfuerant, ter vena ſecta erat, pulſum inveni celerem tenſum, aliqvoties ſimilem morbum ſed mitioris gradus ſe paſſam fuiſſe ægra retulit, phlebotomia adhuc ter repetita, emulſione camphorata, veſicatorio in loco dolenti atqve clysmate oleoſo aliqvoties exhibito factum fuit, ut novem ab introitu exactis diebus flatus antea retenti & alvi fluxus ſponte prodierint; verum poſt tres hebdomadas absqve cognita cauſa priſtinus mor-

morbus revertebatur, ſc. dolor epigaſtricus cum vomitu & alvo obſtipata, per medelam ſupra laudatam ita poſt paucos dies mutatus, ut tantummodo poſt meridiem recurreret, atqve altera finita hebdomade prorſus ſublatus; ab hoc tempore alvi laxitas, anorexia plenaria cum adjuncto hydrope artuum inferiorum magis magisqve adaucto ægrotæ jam admodum debilitatæ vires ad vitam neceſſarias poſt menſis ſpatium prorſus privabant. In aperto cadaveris abdomine invenimus ventriculum maxime contractum, figura & capacitate inteſtini tenuis præditum, tunicis naturalis coloris ſed debito craſſioribus compoſitum; pancreas induratum, ſerum paucum extravaſatum, reliqva & in abdomine & in pectore ſana. Inflammationem ventriculi primitivum in noſtra fuiſſe morbum, ſymptomata ſatis manifeſtabant; num verò & qvomodo præternaturalis illius contractio ab illa cauſa erui poteſt? Anguſtationem inteſtinorum ex & ſub inflammatione productam ſæpe docuit cadaverum ſectio, probabile eſt, ventriculum ſub tali morbo eandem pati poſſe mutationem, qvæ ſine dubio ob crebriorem mali reverſionem demum permanens reddita fuit, & per qvam ſimul perdita eſt facultas appetendi & digerendi, unde atrophiam lethalem derivare haud abſonum videtur.

OCTOBER.

1. Febre bilioſa ſimplici 27 laborabant; horum cuidam devicto morbo ſupervenit moleſtus dolor plantæ pedis ſiniſtri absqve externa mutatione; liqvor nervinus, balneum vaporis, fumigatio aromatica, involutio in cannabi picea fruſtra tentabantur, veſicatorium demum dorſo pedis applicui, per aliqvot dies ſuppurans, dolor pedis inde mox minutus ſenſim & prorſus ceſſavit. Febris cholerica 13 perſonas afflixit, duratio ejusdem communiter tres hebdomades continebat; vomitum qvandoqve initio morbi accedentem, & tunc breviorem ipſum morbum, in aliis illum ſerius ſeſe exſerentem cum protractiore morbo obſervare mihi videbar; facies pallidoflaveſcens erat, exacerbationes febriles haud adeo regulares in nonnullis obvenerunt, factis evacuationibus evaneſcentes; hiſce repetitis & completis, adeo ut nil præter debilitatem ſupereſſe videretur, dedi decoctum chinæ, verum non rarò reſurrexit priſtinus morbus ſc. vomituritio & vomitus vel ſibi ipſi relictus & ad curationem

ſuf-

ſufficiens vel ſi hoc non obſervaretur, arte promovendus; apud qvandam gravitas doloris cardiæ me movit ad ſangvinem qvi phlogiſticus erat, bis educendum; affectio cardiæ hinc qvidem minuta tamen permanebat, vomitu dein ſpontaneo bilioſo ſublata. Alteri hoc morbo cum icterico prorſus colore qvatuordecim diebus afflicto & deinſ per triduum convaleſcere incipienti ſupervenit recidivatus, qvapropter emeticum mox porrectum fuit cum effectu largo, attamen verſus veſperam enormiter increvit cardiæ oppreſſio cum inſigni dyspnœa, dupla hinc facta venæſectione qva ſangvis phlogiſticus apparuit atqve mixtura camphorata acida ille dolor brevi fugatus fuit, debilitas verò enormis reddebatur, cujus periculum ſub uſu decocti chinæ acidi alternatim cum mixtura camphorata acida poſt qvatuordecim dies devictum fuit. Paſſio hepatis ſub febre hac cholerica, icterico colore indicata pronitatem ad inflammationem continere videbatur, qvam valida vomitionis conamina ad actum perducere valebant; tunc memoranda eſt regula: dolorem cardiæ poſt emeſin aggravatum tanqvam inflammatorium tractare. Febre vere putrida gravi, diuturna 32 laborabant, in plurimis diarrhœa ſimul præſens decoctum chinæ cum liqvore nervino deſiderabat; tumor metaſtaticus crurum in permultis occurrebat; qvidam ſcabie ante

morbum topicis tractata affectus enormem patiebatur ardorem cardiæ, nec aliis remediis sublevandum, porrecto demum decocto radicis Saleb sublatum, qvo facto æger summe debilis & stupidus antea non tolerabilia remedia antiputrida solita retinere potuit, illisqve restitutus erat; tres moriebantur, duo ob debilitatem enormem; tertia per apoplexiam lethalem.

2. Febre scarlatina septem laborabant, altero vel tertio die exanthema apparuit, qvinto vel septimo die febris cessabat, desqvamatio haud eodem tempore vel undecimo vel decimo qvarto vel serius post aggressum morbi incepit; inflammatoria ejusdem erat indoles, antiphlogisticis remediis sanata; puer tamen 12 annos natus, cum ad nos venit, duodecim diebus ægrotabat solitis symptomatibus putridis cum molesta affectione faucium initio adjuncta jam præterita, obauditionem observavi notabilem & lingvam aphtosam; die 14to cuticula desqvamabatur; die 16to fluxus ex aure utraqve purulentus accessit intra qvatuor dies evanescens; obauditio tamen restitit per vesicatoria in brachiis juvata; febre inflammatoria anginosa qvatuor decumbebant absqve efflorescentia aut desqvamatione.

3.

3. Inflammatorii affectus nonnulli: Sexagenaria decem jam diebus ægrotavit dolore pectoris ſiniſtri conſtanti cum tuſſi humida, pulſuqve celeri tenſo, vena tantum ſemel ſecta erat; adhuc alteram inſtitui phlebotomiam & veſicatorium lateri applicui, affectio pectoris hinc mox miteſcens die 14mo ſub aggreſſo dolore crurum prorſus ceſſabat, qvi tranſitus rheumaticam morbi indolem teſtabatur. Puella 23 annorum bilioſa febre 14 diebus laborabat cum adjuncta diarrhœa dolorifica atqve tuſſi & moleſta oppreſſione pectoris, hæc ultima die introitus poſt diarrhœam evanidam ad inſignem gradum cum dyſpnœa periculum minante increverat, pulſum celerem tenſum & faciem intenſe rubeſcentem obſervabam, mox eodem die ſangvis cruſta mucoſa tectus mittebatur, inſeqventi die, adhuc dupla facta fuit venæſectio, unde periculum oppreſſionis ceſſare videbatur, veſicatorium dein pectori applicitum & ſub uſu emulſionis camphoratæ, ſyrupi pectoralis, decocti chinæ intra tres hebdomades ægrota convaluit excepta enormi dyſpnœa absqve tuſſi, feliciter tunc ſupervenit febris qvotidiana, qvæ ſub uſu pulveris e cremore tartari, nitro depurato, & pectorali reſolvente compoſiti, & bihorio ſumti ſenſim decreſcendo ceſſavit, atqve ſimul pectoris ſtatum in ſanum conver-

tit; melius forsan qvam aliud remedium resolutionem materiæ morbosæ ad pectus depositæ in hoc casu febris effecit. Altera 28 annos nata undecim, cum ad nos venit, diebus gravi dolore pectoris medii & dextri decubitum in dorso & latere sinisto non permittente, nec non insigni dyspnœa laborabat, pulsum inveni celerem tensum; per qvatuor inseqventes dies sangvis phlogisticus qvinqvies e vena mittebatur, & vesicatorium in latere affecto appositum fuit, affectio pectoris hinc parum minuta, tamen satis periculosa ad 23tium permanebat diem, qvo supervenit expectoratio puriformis, per qvatuordecim dein dies continuans cum levamine qvotidie majore & ad integram tandem restitutionem completo. Qvamvis inflammatio uti apud nostram tamdiu duraverit, ut resolutio ejusdem sperari neqveat, in gravi tamen casu ad inflammationis vim frangendam, gangrænam prævertendam, & inseqventem suppurationem minuendam venæsectio utilis censeri potest.

4. Dysenteria febris mentione digna juvenem 22 annos natum sextiduo jam detinuit, mox ab initio secum ducens debilitatem insignem, faucium dolorem cum deglutitione difficili nec non dejectionem alvi freqventem, dolorificam sangvineam; die introitus fauces

multo

multo meliores redditæ erant; ipecacuanna mox porrecta largum citavit vomitum, ſeqventibus qvatuor diebus gummi arabicum, decoctum chinæ cum liqvore nervino, pulvis gei urbani fruſtra tentabantur, qvinimo dejectio alvi freqventior, inſomnia continua, inſignis virium proſtratio & pulſus exilis incrementum morbi admodum periculoſum indicabant, nunc refugium habui ad mixturam acidam, cujus unciis octo duæ unciæ mucilaginis gummi arabici oppoſitæ erant, cujusqve uncia omni hora ingerebatur, biduo proximo vix ulla morbi mutatio obſervata fuit, tertio autem die dejectio rarior & ſomnus qvatuor horarum, ab hoc tempore ſtatus qvotidie melior factus, & poſt decem dies in ſanitatem integram converſus fuit; ſub decreſcente morbo etiam rarius allata medicina ſumebatur; Egregia ſpiritus vitrioli virtus in periculoſis dyſenteriæ caſibus aliis jamjam exemplis demonſtrata præſenti confirmatur.

5. Metaſtaſis ſine dubio lactea apud feminam 23 annos natam ſeqventi modo ſurgebat: ante 19 dies naturaliter peperat, elapſo octiduo noſocomium puerperarum veſpertino tempore reliqvit & perfrigerata fuit; inſeqventi mane ſupervenit febrile frigus, cui ſuccedebant cephalalgia, ſitis, æſtus hactenus durantia, altero morbi die mammis lacte

distentis emplastrum, vi cujus depletio earundem mox inceperat, applicabatur, tertio die accesserat tumor dolens genu sinistri postea magis magisqve adauctus, sub introitu notabilis rubens, totam genu circumferentiam occupans & fluctuans; lochia adhuc fluebant, alvus naturalis, pulsus celer tensus; mox cataplasma emolliens genu & camphorata intus applicita erant; seqventi die per factam incisionem pus largum e tumore educebatur, qvod postea per qvatuordecim dies effluere perrexit, ulcus superstes tribus septimanis finitis consolidatum erat. Materia ad genu depositа haud ex alio fonte qvam lacte e mammis retropulso derivari potest, qvod adhuc probabilius redditur ob immediatam post depletas mammas tumoris succesionem; causam efficientem hujus depositionis æstimo febrem accidentaliter tunc temporis præsentem; sicuti enim febris in genere continet naturæ conatum peregrina a massa humorum separandi, evacuandi & deponendi, ita qvoqve verosimile est, febrem qvam cunqve, forsan jam præsentem eodem modo in lac retropulsum tanqvam peregriam materinam agere, illudqve evacuare vel adcertas partes metastatica ratione deponere anniti. Experientia hac & ratiocinio ductus sanctam mihi habeo regulam: lac mammarum nullo

modo

modo tempore præſentis cujusdam febris retropellere.

6. Arthritici non pauci: Qvendam 64 annos natum dolore lumborum & crurum ſex ſeptimanis afflictum ſanavit ſudor ſpontaneus largus nocturnus per tres hebdomades continuans. Apud alterum doloribus arthriticis qvinqve hebdomadum per ſimilem ſudorem ſpontaneum fere ſublatis, ſupererat tamen jam bimeſtris tumor circa malleolos pedis ſiniſtri, modice dolens, ſed motum fere impoſſibilem reddens, balneum vaporis, fumigatio aromatica per ſex fere hebdomades adhibita vix ullum juvamen producebant, veſicatorium igitur dorſo pedis applicitum ejusdem ſuppuratio per ungventum cantharidum 14 diebus promota ſuſtulit malum excepto levi veſtigio, qvod ſuper allata topica iterata brevi delebant. An nervoſa nuncupanda eſſet ſeqvens arthritis? Qvinqvagenaria nimirum menſis ſpatio ante introitum ex alto fecerat lapſum in caput directum, & mox conſcientiam ſui ipſius perdiderat, variis adhibitis auxiliis & elapſo octiduo ad ſeſe redierat, ſentiens debilitatem dolorificam utriusqve brachii præſertim dextri, qvod ſimul cum extremitate inferiore dextra inſenſibilitate aliqvali affectum erat, nec non dolorem conſtantem utriusqve claviculæ prope ſternum atqve ca-

pitis imprimis occipitalem cum vertigine; qvæ omnia hucusqve duraverant, alvus & appetitus naturales erant, pulſum depreſſum haud celerem inveni, nil præternaturale in externa parte capitis per factam explorationem detegi poterat. Sangviſugio hirudinum temporibus bis applicito caput præſertim juvabatur, aliàs antarthritica in uſum tracta; liqvori tamen nervino ter die ſumto & pulveri eccoprotico mane & veſpera ingeſto atqve veſicatoriis tam in brachiis qvam in ſuris reſtitutionem ægrotæ poſt duos demum menſes perfectam adſcribere debeo. Commotio & concuſſio cerebri in hac ægrota ſine dubio adeo gravis fuerat, ut nervis cum illo cohærentibus ſimul qvædam inducta eſſet læſio, ſeqventis infirmitatis & doloris cauſa putanda; forſan vitium hoc tantummodo in principiis nervorum cerebralibus hæſerat. Medicationem eandem ac in apoplexia tactis convenientem judicavi & cum proſpero eventu adhibui.

SECTIO.

7. Pleuritide lateris dextri admodum gravi vir 52 annos natus, ſeptem, cum ad nos venit, diebus ægrotavit, nullo interea uſus auxilio, venæſectionem crebram aptaqve alia remedia fruſtra, qvia ſero, adhibui, do-

dolor enim qvamvis minor, dyspnœa & debilitas magis magisqve increſcentes cum tuſſi ſicca, crebra, brevi, pulſu febrili, decubitu intolerabili in latere ſiniſtro, & aphtis demum adjunctis diem morbi 52dum cum morte commutabant. Aperto defuncti pectore invenimus pulmonem dextrum, parva ejusdem parte excepta converſum in abſceſſum inſignem, qvi ſub exploratione mox ruptus pus tenue largum effundebat.

NOVEMBER.

1. Febre bilioſa ſimplici 26 laborabant. Qvendam 14 diebus ægrotantem ab initio ſimul afflixit dolor conſtans pectoris dextri cum tuſſi alvoqve laxa; primo morbi qvatriduo dolor juncturarum inferiorum adfuerat ſponte dein evanidus, unde concluſi, ſimilis ſ. rheumaticæ indolis eſſe dolorem pectoris, porrecto emetico & aliis evacuantibus dolor ille ut & reliqva bilioſa ſymptomata ceſſabant. Apud alterum 4 ſeptimanis ægrotantem etiam adjunctus erat conſtans dolor punctorius pectoris ſiniſtri, qvi bilioſis licet evanidis ſymptomatibus, adhuc tamen minoris gradus continua-

tinuabat absqve ulla saltem notabili dyspnœa, unde simul respectis diuturnitate & decremento doloris rheumaticam illius judicabam indolem; mixturam camphoratam acidam præbui, sub cujus usu dolor pectoris post paucos dies in odontalgiam vertebatur. Alter undecim diebus ægrotabat cum adjuncta tussi & dolore per biduum proximum mox interscapulari, mox pectoris sinistri, devictis per evacuantia symptomatibus biliosis, tussis absqve dolore pectoris gravior indies reddebatur, fere convulsivam vehementiam habens, kermes minerale bihorio porrectum & vesicatorium pectori applicitum tussim non minuebant, sed in periodicam hora decima vespertina & qvarta matutina redeuntem vertebant, exhibui tunc infusum s. decoctum radicis senegæ cum oxymelle scillitico ad unciam bihorio; intra biduum tussim hinc mitigatam & dein profugatam observavi; etiam hanc pectoris affectionem rheumaticæ materiæ adscribere fas est. Alvi laxitas apud plurimos simul aderat. Febre cholerica 14 decumbebant, ad cujus genium illustrandum singulares nonnullas historias afferre convenit: Qvædam per emeticum & pulverem eccoproticum ad statum convalescentis redacta debilitatis superstitis ergo decoctum chinæ acidum sumsit, triduo autem elapso recruduit pristina febris cum oppressione cardiæ & vomitu spontaneo, iteratis

au-

autem emetico & eccoprotico fugata. Altera qvinqve diebus ægrotans qvatriduo primò laboraverat vomitu freqventi, largo, bilioſo, qvi qvinto die ceſſavit, alvus triduo non aperta erat; clysma cum effectu & cremorem tartari exhibui atqve ob cephalalgiam enormem veſicatoria brachiis impoſita, inſeqventi die cephalalgia evanuerat, bilioſus autem ſtatus idem, qvapropter emeticum porrectum evacuationem copioſam ſurſum & deorſum producebat; vomitus tamen ſpontaneus continuabat & julapium ſalinum & decoctum chinæ acidum rejiciens, triduo ita peracto cremor tartari exhibitus fuit, qvem æger retinuit & ſub qvo convaluit. Altera qvatuordecim diebus ægrotabat ſolitis ſymptomatibus vomitu intercurrente & diarrhœa qvodammodò dolorifica ab initio, exhibita ipecacuanna & altero die pulvere rhei qvotidiana ſurrexit, cujus tribus abſolutis paroxysmis ob ſigna cruditatum permanentia repetere emeticum opus erat, tamen rediit febris cortice ſanata. Apud aliam emetico bis præbito die qvinto ſupervenit faucium conſtrictio moleſta per intervalla recurrens & deglutitionem impediens; liqvor nervinus hoc ſymptoma ſuſtulit & ægra aliqvot diebus convaleſcere videbatur, dein e novo ſymptomatibus bilioſis affecta, qvæ per iterata emeticum & pulverem eccoproticum ſanabantur. Alter

ſub

ſub uſu cremoris tartari indeqve fluente alvo die 10mo convaluit, ſed dolor extremitatum lateris dextri oriebatur, mixturam camphoratam ideo exhibui, duobus abhinc diebus dolori evaneſcenti ſuccedebant ſymptomata bilioſa, emeticum dupla vice intra tres dies repetendum deſiderantia, alvum poſthac laxam decoctum chinæ cum liqvore nervino ſanabat. Alteri 14 diebus ægrotanti, qvæqve ſub vomitu freqventi ſangvinem aliqvoties vomuerat, emeticum præbere non auſus fui, ſed vomitu per julapium ſalinum ſedato oppreſſionem cardiæ ſuperſtitem cum ſapore malo per cremorem tartari cum rheo, alvoqve inde modice laxata ſuſtuli; vir 34 annos natus jam 14 diebus ægrotans præter reliqva ſolita qverebatur ſtranguriam ab initio moleſtantem, dolorem crurum poſt qvinqve primos dies converſum in genua, ubi jam hæſit absqve tumore, alvus triduo erat clauſa, lingva pura, regio hypogaſtrica ab attactu parum dolens, pulſus celer debilis, facies flaveſcens; clyſma mox applicitum fuit cum effectu, altero die emeticum præbitum evacuationem ſurſum & deorſum cum levamine produxit, urina ſtrangurioſa viridis, die tertio paroxyſmus febrilis & ante & poſt meridiem aderat; die qvarto nulla febris, urina obſcuro aurantia virideſcens obſervata cum ſedimento mucoſo; die qvinto dolor artuum ceſſaverat; urina eadem,

die

die ſexta urina citrina cum ſedimento albo mucoſo; alvus hactenus ſub uſu cremoris tartari modice laxata naturalis fiebat, & æger convaluit, qvapropter contra debilitatem ſuperſtitem decoctum chinæ acidum trihorio porrexi, poſt ſex abhinc dies rediit paroxysmus febrilis, inſeqventi die rediens, lingva erat ſordida, emeticum ideo repetii cum effectu largo; poſteaqve cremorem tartari, per qvem alvo modice laxata æger intra qvatuor dies revaluit, hac vice nec cortice uſus nec recidivam paſſus; in aliis pluribus ſimilem ſtranguriam, dolorem artuum, paroxyſmos febriles irregulares morbum comitari, & cum illo factisqve debitis evacuationibus ceſſare experti ſumus. Febres ſtricte putridæ 34, qvidam octiduo ægrotans bis emeticum ſumſerat, ſapor tamen adhuc putridus & lingva ſordida aderant, verum cum tanta debilitate, ut emetici qvod porrigere non audebam, loco decoctum chinæ acidum alternatim cum cremore tartari præſcripſerim; poſt novem dies vires multo meliores redditæ erant, verum vomitus ſpontaneus ſurrexit, ob qvem & ſorditiem lingvæ emeticum exhibui; poſt cujus effectum æger cito convaluit. Alter emeſi bis inſtituta & dein adhibito decocto chinæ acido circa diem 17mum convaleſcere incepit ſed ſimul ictericus factus, biduo abhinc oppreſſio cardiæ moleſta cum ſapore malo &

vomi-

vomituritione accuſabatur, ideoqve emeticum iterabatur, debilitas inſeqvens inſignis gradus decocto chinæ acido alternatim cum mixtura camphorato moſcata ingeſto atqve veſicatoriis in ſuris vincebatur, icterus interea ſenſim diſparuit. Alter itidem flavus qvatuordecim, cum ad nos venit, ſolitis laborabat ſymptomatibus bilioſis cum exacerbatione qvotidiana, atqve larga hæmorrhagia narium, ultimo qvatriduo aliqvoties reverſa, decocto chinæ acido qvinqve diebus adhibito hic convaluit, verum biduo elapſo ſymptomata bilioſa revertebant, ob qvæ perſeverantia ſpatio qvinqve dierum emeticum bis ſumtum fuit, alvus interea laxa erat, biduo poſt alterum emeticum enormis ſurgebat cardialgia attactum haud tolerans; qvamvis alvus nimium fluxiſſe apparuiſſet, attamen ſordes coli adhuc in culpa eſſe credidi, ideoqve clyſma, qvod revera cardialgiam ſuſtulit, applicabam, ſuperſtes dein debilitas decocto chinæ acido tollebatur & æger e novo per qvatuor dies convaleſcentis ſpeciem habuit, attamen recidiva ſupervenit incipiens a frigore dein crebro & irregulariter recurrente, vomitum alvumqve laxam ſecum ducens, ipecacuanna repetita fuit, deinceps decoctum chinæ ſimplex cum liqvore nervino, ſub cujus uſu æger demum elapſis ab initio morbi ſex hebdomadis ad ſanitatem absqve inſeqventi

reci-

recidivatu reductus fuit; ſimilis relapſus apud alterum accidit, qvem diarrhœa ſpontanea larga per pulverem gummi arabici ægroto tantum præ alia medicina tolerabilem intra modicum terminum limitata abegit; plurimi alvi laxitate etiam poſt plura ſumta emetica laborare pergebant, qvibus decoctum chinæ cum liqvore nervino præbui, donec alvus ſtrictior reddita eſſet, illi tunc ſubſtitui decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura camphorata acida vel moſcata, utpote hæc contra morbum valentiora erant, & non anſam dabant alvo ſegni, qvam noxiam illis, ubi naturam ad laxitatem ſeſe pronam monſtraverat, obſervaveram. Pauci metaſtaſin ad pectus cum ſputo critico patiebantur; duo obierunt alter ob enormem debilitatem, altera ob expectorationem impeditam. Ex hac deſcriptione patet febres ordinarias bilioſo putridas indolis epidemiæ cholericæ participes fuiſſe, atqve variis ſymptomatibus hunc referentibus ſc. vomitu intercurrente ſpontaneo, eruditatum bilioſarum abundantia, diarrhœa, recidivatu facili perſæpe ſtipatas fuiſſe, adeo ut judicatu difficile eſſet, num tales caſus ad ſpeciem cholericam aut ad ſolitam bilioſo putridam pertinerent?

2. Febres anginoſæ nonnullæ qvoqve bilioſæ indolis medicatione mixta, & inflam-

mationi faucium conveniente, per hirudines circa laryngem atqve veſicatorium nuchæ peracta, & evacuante opus habentes; cuidam qvatriduo ægrotanti bis jam emeticum porrectum erat, dolor tamen faucium permanſerat admodum gravis, per hirudines, veſicatorium, mixturam camphoratam ſeptimo die ſublatus, reſtiterunt autem ſymptomata debilitatis, qvorum ergo decoctum chinæ reqvirebatur ad 12 dies porrectum, anteqvam indoles pulſus febrilis tolli poterat; apud alteram faucibus poſt ſex dies reſtitutis ſupervenerunt ſymptomata bilioſa methodo evacuatoria abacta, in hac efflorescentia ſcarlatina ſimul adfuerat & deſqvamatio die 21mo poſt acceſſum morbi accidit.

3. Inflammatorii morbi rariſſimi: Qvadragenaria qvatuordecim diebus ægrotabat dolore medii abdominis & lumborum conſtanti, vomitu omnium ingeſtorum, obſtipatione alvi plenaria & retentione flatuum pulſum inveni celerem tenſum; ſangvinem, qvi phlogiſticus erat, bis mittebam & emulſionem camphoratam præbebam, unde poſt duos dies dolor ceſſavit, & alvi fluxus in naturalem ordinem converſus fuit. Alter 26 annos natus ſpatio octodecim hebdomadum laboraverat vomitu fere omnis ingeſti primo morbi tempore poſt aliqvot ab aſſumtione ho-

ras

ras elapſas, dein autem poſt emeticum aliqvoties a chirurgo porrectum aggravato adeo ut ingeſta mox rejicere cogeretur; dolor cardiæ oppreſſorius per tres hebdomades adfuerat, alvi fluxus non prorſus impeditus fuerat, pulſum celerem tenſum & ægrotum pallidum ſatis emaciatum inveni; ſangvinem qvater qvatriduo primo mitti curavi & excepta ultima vice phlogiſticum deprehendi; aliàs emulſionem camphoratam bihorio ſumendam & nil præter decoctum avenæ minutis præbiis ingerendum præſcripſi, itaqve morbum intra octo dies perſanavi, phlogoſis modica chronica ventriculi ſine dubio in his ægrotis adfuit.

4. Vomitus ſpatio qvinqve menſium virum 45 annos natum afflixerat, partim ingeſta partim mucoſa rejiciens qvovis triduo vel qvatriduo, poſtqvam alvus, qvod fieri ſolebat, tamdiu obſtipata fuerat, recurrens; dolor cardiæ verſus coſtas ſiniſtras extenſus vomitum ſemper ad horæ ſpatium præcedebat & abſoluto vomitu ceſſabat, idem tamen dolor etiam absqve vomitu intercurrebat; exploratione abdominali nil præternaturale aut ullus locus dolens detegi poterat; pyroſi habituali plurium annorum, ſub præſenti morbo ſilente æger laboraverat. Mox credidi ſenſibilitatem ſingularem ventriculi in culpa eſſe, vi

cujus obſtipatio alvi ſeu contentorum remora nimia ſufficiens irritamentum ad citandum vomitum ſiſtere valuit; cui ideæ ſimplicem illam ſuperſtruxi curationis viam ſc. eccoproticis qvotidie exhibitis alvum mediocriter ſ. vix ultra modum naturalem movere, qvali ſcopo pulvis anticolicus mihi inſerviebat & votis reſpondebat.

5. Scabie exſiccata fœmina 47 annos nata incidit in morbum pectoris ſ. ejusdem oppreſſionem cum tuſſi, ſputo mucoſo, dyſpnœa, qvinimo raucedine, qvæ ſeptem hebdomadis protracta ægrotam valde debilitaverant & ut credidi, extra reſtitutionis ſpem poſuerant, pilulas tamen pectorales reſolventes ad grana qvindecim ter die ſumenda & juſculum ſecalinum omni mane præſcripſi, poſt tres hebdomades provenit ſcabies, ſub balneo dein magno tepido adhuc magis efflorescens, ſub qva pectoris ſtatus ſenſim in meliorem, poſt tres menſes integrum converſus fuit. Inter certiora indicia tabis pectoralis incurabilis raucedinem numerare me docuit experientia; exceptionem tamen ab illa regula allatus caſus continet.

6. Arthritici dolores partim vagi, partim fixi in iſchio dextro virum 53 annorum per menſem afflixerant, orti poſtqvam

qvam ulcus cruris multis annis durans & largum ichorem effundere ſolens ſiccatum tamen non conſolidatum erat; liqvor nervinus ter die & pulvis e temperante camphorato atqve lacte ſulphuris compoſitus mane & veſpera dabatur, ulcus autem ungvento baſiliconis cum admixto pulvere cantharidum deligatum fuit, qva methodo ſuppuratio ulceris reſtituta fuit, & dolores arthritici ſpatio trium hebdomadum abſoluto ceſſabant.

SECTIONES:

7. Tuſſi & dyspnœa dimidio anno magis magisqve adauctis cum adjuncto per qvatuor proximas hebdomades dolore punctorio utriusqve pectoris, venæſectione aliqvoties repetita fugato fœmina 28 annos nata laboraverat; ulcera inveterata crurum adfuerant, jam fere exſiccata; alvus naturalis, pulſus impræſenti celer tenſus; cum ad noſocomium vecta ægrota mox poſt introitum corripiebatur enormi vomitu nullis auxiliis mitigando ſub qvo poſt nychtemeron moriebatur. Secto cadavere pectoris cavitas utraqve ſero multo repleta inveniebatur. Cor inſignis magnitudinis ſangvinem copioſum in utroqve ventriculo continens; ventriculus præſertim enormiter expanſus ſtriis rubris paſſim notatus.

Motus currus forſan ſtomachum jamjam morboſe affectum ad vomitum irritaverat, cujus violenta agitatione circulatio pectoris hactenus impedita ad funeſtum terminum eò citius perducta fuit.

8. Arthritidem & icterum cum dolore hypochondrii dextri ſæpius paſſus, adverſaqve fortuna & mœrore diuturno preſſus vir 43 annos natus dolore genuum & brachiorum duabus hebdomadis e novo laborabat, qvatuordecim in noſocomio elapſis diebus intereaqve nitroſis cum camphora & kerme minerali adhibitis mitigatos ſentiit artuum dolores, verum moleſtam incuſavit ſtranguriam, cui poſt qvatuor dies & veſicatoria in ſuris applicita evaneſcenti ſucceſſit paroxysmus aſtmaticus, uſu pulveris e moſco & kerme minerali compoſiti intra paucas horas ſedatus; poſt qvinqve dies idem ſupervenit acceſſus eadem medela abactus, crurum tumor inſignis interea ſurrexit; poſt ſeptem dies ſimilis paroxysmus ut cæteri, tranſiens, poſthac dyſpnœa permanens reddebatur, ſub diureſi licet notabili & dolore artuum qvoqve affligente increſcens, paroxysmos aſtmaticos qvandoqve junctos habens, decubitum horizontalem haud permittens, & poſt duos a primo aſtmatis inſultu elapſos menſes in mortem placidam finita. Aperto defuncti thorace cavitas ejus-

dem

dem utraqve ſero claro fœtido repleta deprehendebatur, pulmonum externa ſuperficies partim inflammata, partim materia gelatinoſa obducta; dexter pulmo pleuræ coalitus, ſiniſter pericardio, hoc itidem ſerum largum, & cor ipſum plures polypos continebat; in abdomine ſerum copioſum extravaſatum ejusdem ac in pectore indolis, hepar debito majus naturalis ſubſtantiæ, lien verò maximus induratus ſangvine turgidus. Vi fracta nervorum, & viſcerum abdominalium labe inveterata, indeqve nata cacochymia ægrotus noſter jamjam ad hydropem dispoſitus fuerat, itaqve debilitatus, ut materia ſupervenientis arthritidis ad extremitates rite propelli, ibidemqve ſufficienti tempore ſubſiſtere neqviret; qvibus conſpirantibus cauſis vix impediendum eſſet, qvin morboſa materies etiam internas occupaverit regiones, ejusdemqve irritatione collectio hydropica accelerata eſſet. Retrogreſſus initium ſtranguriam, alter gradus paroxysmos aſthmaticos, & ultimus hydrothoracem ipſum letalem produxit.

9. Diarrhœa dimidii anni non dolorifica cum ſuppreſſis per novem menſes catameniis fœminam 27 annorum jam maxime emaciaverat; menſis fere ſpatio adhuc in noſocomio vixit ægra, geo urbano, caſcarilla ſimaruba, mucilaginoſis absqve emolumento

utens & verſus finem ingeſta non digeſta per alvum deponens. Aperto cadaveris abdomine omentum majus, meſenterium & meſocolon maxime pingvedinoſa, inteſtina itidem craſſa imprimis colon deſcendens tunica adipoſa craſſa involuta reperimus, cujus insignis pingvedinoſæ maſſæ pondere S. romanum profunde in cavitate pelvis ductum & locatum erat. Hepar immenſum fere totam regionem ſupraumbilicalem implens & durum, veſica fellea collapſa, ſpeciem membranæ habens & prorſus vacua; in pectore pulmones exigui collapſi, ita ut ſpatium notabile inter hos & coſtas adeſſet; dexter pulmo multa & magna tubercula continebat. Nonne vitium & infarctus hepatis tanqvam principium hujus morboſi ſtatus rariſſimi ſtatuendum eſt? Saltem defectus bilis ex eo intelligitur, & ob eundem adeo plenarium ingeſtorum retenta cruditas, imo corruptio, qvibus inteſtina ad fluxum irritari poterant. An verò eundem fontem habuit enormis in abdomine adipis accumulatio? E transfluxu ſangvinis venæ portæ per hepar obſtructum denegato haud inepte deduci videtur, illum ſangvinem in vaſis abdominalibus qvodammodo remoratum fuiſſe, atqve exſudationi & depoſitioni nimiæ materiæ pingvedinoſæ anſam dediſſe.

De-

DECEMBER.

1. Febre bilioſa ſimplici 34 laborabant; multiplex emetici repetitio ob cruditatum copiam ſæpius opus erat; apud nonnullos factis debitis evacuationibus & indiciis ſaburræ ita evanidis roborandi ſcopo decoctum corticis dabatur, verum tunc priſtina ſigna impuritatum reſurgebant, repetitionem emetici deſiderantia; illoqve ſublata; apud qvendam febri bilioſæ continuæ decem dierum poſt emeticnm & uſum cremoris tartari devictæ ſucceſſit febris qvotidiana, repetitam emeſin unicus ſeqvebatur febrilis paroxysmus, poſt qvem omnis morbi locum ſubiit lumbago gravis per veſicatorium absqve morboſa ſeqvela ſublata, in paucis aliis ſimilem alternationem bilioſæ febris cum dolore artuum vel præcedente vel ſuccedente obſervabam. Febris ſtricte putrida ſtupore & debilitatis gradu imprimis dignoſcenda 25 perſonas detinuit; qvidam die 17mo parotidem patiebatur tumidam, qvæ ſenſim ſub alvo largiter fluente & veſicatoriis ſuppurantibus disparuit; qvinqve moriebantur; qvidam tribus hebdomadis ægro-

tans & ſimul tuſſi inveterata afflictus biduo poſt introitum exſpiravit; alter menſe integro, cum ad nos venit, decumbens ſumme ſtupidus & paralyſi lateris dextri ſub morbo adjuncta laborans, tertius cui intumuit utraqve parotis & ſupervenit diarrhœa ſangvinea fœtidiſſima; duo ob metaſtaſin ad pectus cum impedita expectoratione. Febris cholerica adhuc crebra, cujus varia exempla breviter proponere ad univerſalem dein illius ideam formandam utile judico: Qvidam qvatuordecim diebus ſolitis ſymptomatibus nec non vomitu illo ſpecifico laborans in noſocomio adhuc tribus ſeptimanis ægrotabat qvater emetico & tempore intercalari cremore tartari cum vel ſine rheo ad alvum modice ſubducendum uſa excepta debilitate convaluit, qvapropter exhibito decocto chinæ acido reſurgebant mox ſymptomata bilioſa qvinta emeſi removenda; altera tribus hebdomadis ante introitum ſimili modo affecta etiam emetico & dein pulvere allato eccoprotico per tres hebdomades opus habuerat, anteqvam cardiæ oppreſſio & cephalalgia tolli potuerant; qvædam decem diebus continuis vomitu & diarrhœa affligebatur, qvatriduo qvidem ſilentibus, cruditatum indicia tamen præſto erant, ideoqve emeticum porrexi, poſt cujus effectum utrumqve ſurrexit cardialgia notabilis cum affectione cholerica, dedi igitur liqvorem

rem nervinum ad guttas 20 omni hora, unde excretiones ſimul cum cardialgia ſenſim decreſcendo poſt qvatriduum ſedabantur. Alteram 14 diebus affectione cholerica afflictam liqvor nervinus mox & prorſus juvabat. Qvædam qvatuordecim diebus cum ad nos venit, & dein periculoſiſſime ægrotabat, mox præbui emeticum, poſt cujus effectum ob debilitatem enormem atqve inſignem cephalalgiam veſicatoria in brachiis & decoctum chinæ cum liqvore nervino applicui, cephalalgia altero die ceſſavit, ſed decoctum & aliàs largam bilem freqventer evomuit ſimulqve laxabatur, pulſus erat debiliſſimus & extremitates frigeſcebant, nunc dedi infuſum ſ. decoctum radicis Saleb alternatim cum emulſione camphorata, verum hanc evomuit & ideo mox ſepoſuit, continuato tantummodò infuſo dicto, ope cujus excretiones periculoſæ intra qvatriduum inhibitæ fuerunt, & ægrota, qvamvis lingva aphtoſa eſſet, prorſus revaluit. Duo ab una domu ſervus & auriga ad noſocomium portabantur, æqvo tempore ſc. qvatriduo ægrotantes, uterqve emeticum tertio die ſumſerat; ſervo altero die ipecacuannam præbui & alias cremorem tartari, qvibus nono die convaluit; verum elapſo qvatriduo morbus recruduit, emeticum porrexi, ſymptomata tamen permanebant cum alvo laxa ad ſextum diem, repetii ideo ipecacuannam,

unde

unde excretio larga ſurſum & deorſum citata inſeqventi die continuans & tunc liqvore nervino inhibita fuit, ſuperſtitem debilitatem decoctum chinæ acidum ſanabat; auriga licet pridie per artem evacuatus poſt introitum tamen vomere & laxari pergebat cum aliqvali dolore abdominis, præbui liqvorem nervinum omni hora, excretiones hinc compeſcebantur ſed dolor abdominis admodum gravis ſurrexit clysmate haud levatus, inſeqventi die adhuc permanens, pulverem emeticum ſolitum nunc porrexi, qvo larga bilis evacuata fuit, dolorqve abdominis ſublatus; apud alterum in eodem cubiculo & prorſus ſimili modo ægrotantem eadem omnino fuit medicationis ratio & effectus. Qvædam poſt qvatuor habdomades convaleſcere incipiens ſine cognita cauſa in priſtinum malum incidit, emeticum dedi cujus effectus largus erat, ſeqventi die cremorem tartari, tertio die alvus ſæpiſſime fluxit cum dolore abdominis & excretione ſangvinea, clysma e decocto avenæ exhibebatur & dein mucilaginis gummi arabici cochleare majus bihorio, qvarto die alvus rarior, dolorqve minor & ſexto die abdomen prorſus reſtitutum. Altera etiam morbo hoc jam ad menſem protracto ſumme debilitata nullum prorſus medicamen retinere potuit, ſacculus aromaticus vino & aceto calidis humectatus & cardiæ diligenter applicitus vomi-

tum

tum compeſcuit aliàs ipſius naturæ viribus ſolisqve mucilaginoſis potibus ſumtis poſt ſex hebdomades convaluit & reſtituta fuit. Cuidam poſt qvatuor hebdomades convaleſcenti & dein in priſtinum morbum relabenti exhibui emeticum, illius veró effectum inſeqvebatur oppreſſio cardiæ gravior cum vomitu ab omnibus ingeſtis, pulſuqve celeri tenſo; exhibita mixtura camphorata acida mox dolorem abdominis citabat ideoqve ſepoſita erat, illi ſubſtituta emulſio camphorata ſufferi potuit, & venæſectione bina, qva ſangvis phlogiſticus apparuit, adjuvante dolorem ſuſtulit; in alia dolor cardiæ ſimili modo poſt emeſin aggravatus qvadrupla phlebotomia & veſicatorio cardiæ opus habuit. In reliqvis epidemia hujus menſis ſimilis illi, qvæ de prægreſſis menſibus relata eſt, obſervabatur. Unicam ſub hoc morbo ſed ob infauſti puerpuerii ſeqvelas defunctam diſſecui: Hæc 35 annos nata decem diebus cholerica febre cum vomitu & diarrhœa ceterisqve ſymptomatibus laborabat; biduo ante introitum obſtetricia manu finitus erat partus qvem ob placentam orificio uteri annexam & ſolutam inſecuta erat largiſſima hæmorrhagia per injectiones aqvæ frigidæ & aceti atqve epithemata ſimilia abdomini applicita debellata, ſeqventi die ſymtomata prægreſſi morbi continuaverant; ideoqve emeticum

cum

cum effectu exhibitum erat; abdomen qvodammodo expanſum a preſſione dolens, ſtuporem inſignem ſingultum intercurrentem, mammas collapſas, pulſum celerem debilem, reſpirationem valde freqventem in ægrota deprehendi, emulſionem camphorato-moſcatam alternatim cum infuſo ſaleb præſcripſi; inſeqvens ſ. undecima morbi nox admodum inqvieta cum alvifluxu largo involuntario per mortem terminabatur; aperto cadaveris abbomine ſerum nonnullum flavum effluxit, inteſtina tenuia valde expanſa craſſa contracta, veſicam felleam enormem ſaltem triplo naturali majus volumen habentem, bilem multam tenuem obſcure viridem continentem, uterum magnum craſſisſimæ ſubſtantiæ, intus nigreſcentem, fœtorem putridum ſpargentem invenimus. Conſideratis hiſce exemplis & hiſtoria febris cholericæ præſenti & prægreſſis menſibus graſſantis, qvodammodo ad ejusdem notionem, naturam, medelamqve in univerſum determinandas adducimur. Symptomata hujus febris generalia conſtantia ſunt bilioſa ſolita ſc. cephalalgia vertiginoſa debilitas, ſapor amarus, lingva ſordida; propter hæc febris cholerica pertinet ad genus bilioſæ febris, ſ. hujus eſt ſpecies. Symtomata conſtantia ſpecialia ſunt vomitus ſpontaneus creber bilioſus, atqve diarhœa, rariſſima hujus abſentia tanqvam exceptio re-

gu-

gulam non tollens æſtimanda eſt, hæc duo ſimul cum allatis genaralibus definitionem cholericæ febris adæqvatam, nec non diagnoſin certam & facilem ſiſtunt, atqve denominationi ob ſimilitudinem cum cholera morbo anſam dederunt. Symptomata per hanc febrem posſibilia minus magisve freqventia ſunt flaveſcens corporis color, ſitis qvandoqve enormis, ſingultus dolores artuum, exacerbationes febriles præſertim irregulares, ſtranguria, urina virideſcens. Symptoma ſ. effectus conſecutivus hujus febris vix non conſtans eſt tumor œdematoſus extremitatum inferiorum; ad prognoſin pertinent duratio hujus morbi ad tres qvatuorve raró plures hebdomades ſeſe extendens, eventus ejusdem in ſanitatem fere ſemper ſperandus utplurimum ipſius naturæ conamine evacuatorio productus, vel arte iſtud ipſum imirante, & tandem recidivatus facilis vel ſpontaneus, vel a cibis ingeſtis qvamvis nec immodicis nec incongruis, vel a ſumto præpropere decocto corticis peruviani. Cauſa proxima vix alia ſtatui poteſt aut debet, qvam bilis vitium ſaltem illius abundantia peccans, cujus indubitatum teſtimonium erat enormis & diuturnus bilioſæ materiæ vomitus. Hæc origo ad omnia morbi phenomena explicanda convenit & ſufficit; irritando nimirum tubum inteſtinalem motus evacuatorios atqve febri-

les

les, ſitim imo ſingultum provocat, reſorpta cutim tingere, urinamqve acrem virideſcentem, ſtrangurioſam reddere valet, etiam ad interiora artuum vaſa qvodammodo colligi, ibidemqve dolorem excitare, nec non humoribus textus celluloſi commiſceri, illosqve ita acres redditos ad reſorptionem per vaſa lymphatica ineptos facere, unde tumor hydropicus provenit. Num verò bili cyſticæ aut hepaticæ aut utriqve culpa tribuenda eſt? Abundantiam cyſticæ bilis ſaltem probat ſectio cadaveris ſupra allata, forſan autem illa e largitate bilis hepaticæ ortum traxerat; recidivatum morbi qvem ſæpe poſt ingeſtos cibos obſervabam, vix alio modo declarare poſſumus qvam e nova effuſione bilis cyſticæ per repletionem ventriculi & inteſtinorum producta. Qvænam verò fuerunt cauſæ remotæ bilis abundantiam creare valentes? Nec certam aëris conſtitutionem, nec ſingularem pravamve diætam, pauperes qvidem potiſſimum, verum etiam ditiores ſalubri victu utentes illi morbo ſubjiciebantur) nec aliam prægreſſam epidemiam accuſare audeo vel poſſum. Medicationis prima, principalis & univerſalis regula erat: Evacuationem primarum viarum juxta modum, qvem natura ipſa intendebat, promovere & non impedire, qvali ſcopo potiſſimum qvadrabant emetico-catartica aut pulvis emeticus ſolitus, aut mera

ipe-

ipecacuanna, ſi diarhœa notabilior videretur, horum uſus & initio morbi & ſub ejusdem progreſſu ſ. duratione, qvamvis ad qvatuordecim vel plures dies protracta intereaqve ſpontanea larga evacuatione promota faciendus erat; rariſſime unicum tale artis adminiculum ſufficiebat; utplurimum illius repetitio tertio aut qvarto qvovis die ad tres, qvatuor, vel qvinqve vices deſiderabatur; iterandi emeticum rationes, nonne meritó? habui juvamen vel levamen ſymptomatum tranſitoſium poſt emeſin peractam, redeuntia dein ocyus vel ſerius evacuandi naturæ molimina, vel ſigna ſolita bilioſæ ſaburræ vel utraqve ſimul; diebus ab emeſi artificiali liberis ſæpius nil præter potus largos acidulos præbui, evacuationem naturæ propriam ſibi ipſi relinqvens, qvandoqve, ſi alvus minus laxa eſſet, aliqvot doſes cremoris tartari, vel ſi dejectio freqvens tenesmoidea obſervaretur, pulvis rhei dabantur; dolor abdominis & cardiæ qvamvis conſtans & atrox, dummodo emeſi artificiali haud immediate ſucceſſerat, allatam evacuationem potius poſtulabat qvam contra indicabat, illaqve tollebatur; epidemiam noſtram initio haud ſatis perſpectam habens dolorem talem inflammatoriæ indolis credidi & tractavi, atqve ægrotum, tamen haud in noſocomio decumben-

tem ſub metaſtaſi primum ad pectus dein ad caput appoplexiam funeſtam inducente perdidi; naturam itidem morbi ſub deſcripto ſtatu adeo largas evacuationes deſiderantis nondum edoctus, qvibusdam ſiſtentia uti ſalinum julapium, liqvorem nervinum choleræ morbo noſtræ epidemiæ ſimili ſpecificum exhibui, verum aut inutilia aut noxia cum inſeqventi dolore cardiæ expertus fui. Completam evacuationem, illaqve, ut in plurimis fiebat, devictum morbum, ſymtomatum ceſſatio, rediens appetitus & lingva puritas teſtabantur, defectum virium ſuperſtitem modicus nutritus, facultate digerente haud ſuperior tutiſſime reſtaurabat, recidivatus morbi primi medela tollendus erat, & hoc facilius communitur fugabatur. Altera ſanationis regula ad pauciores tamen caſus limitata erat domatio evacuationis effrenæ, per qvam intelligo vomitum vel diarrhœam vel utrumqve poſt excretiones tam natura qvam arte largiter peractas & repetitas continuans, non levans, atqve debilitatis notabilis indicia, pulſum imprimis depreſſum atqve extremitates frigeſcentes ſecum ducens, ſub hoc ſtatu alterutrum ſeqventium convenit & juvat, vel ſc. liqvor nervinus ad guttas viginti omni hora & miteſcente malo bihorio exhibitus, vel hujus remedii, qvod ægroti interdum

dum urens & intolerabile ſentiunt, loco mucilaginoſa, uti infuſum radicis ſaleb ad unciam omni vel alternis horis, vel mucilago gummi arabici tamdiu porrecta, donec excretio naturalis reddita fuerit. Tertia curationis regula fuit methodus antiputrida, raró tamen & tunc deſiderata, cum febris evacuationibus imprimis vomitu finitis in putridam nervoſam converti apparuerit, debililtate nimirum, ſtuporeqve deſignata, ſæpius ſimul juncta diarrhœa ad decoctum chinæ cum liqvore nervino propinandum me commovit, alias decoctum chinæ acidum alternatim cum mixtura camphorata acida aut mixtura moſcata ſolito modo dabantur; ſub horum uſu interdum contigit, bilioſa ſymptomata atqve vomitum reſurgere, qvo obſervato ab illis diſiſtere & evacuatoriam medelam repetere opportuit. Qvarta regula, accidentalis nomen merens, antiphlogiſtica erat locum habens qvando mox poſt emeſin artificialem inſurgebat dolor cardiæ notabilis perdurans, venæſectio tunc imo repetita & emulſio camphorata in uſum trahebantur, donec dolor ille ceſſaverit, vel tunc cura morbi ſimul complebatur, vel bilioſa qvædam remanebant ſymptomara catharſi ſ. eccoprotico juvanda. Qvinta medendi regula contra effectum hujus morbi conſecutivum ſ. hydro-

picum tumorem extremitates inferiores imprimis occupantem dirigenda eſſet; naſcentem hunc nec ſtatim nec fortioribus evacuantibus debellabam, ne depoſita materies reſorberi itaqve aut priſtinam febrem aut alia mala produceret; primum autem, ut vires deperditæ victu nutriente motuqve corporis redierint, curabam, qvo ſcopo aliqvatenus potitus certior reddebar, naturam materiæ depoſitæ, cum reſorptio illius per remedia efficeretur, excretionem præſtituram eſſe; tali fini diuretica imprimis acetum ſcilliticum cum æqvali parte ſpiritus ſalis dulcis ad guttas ſexaginta ter indies & infuſum juniperinum ſufficiebant.

2. Hemicrania lateris ſiniſtri vir 25 annos natus, qvatuordecim, cum ad nos venit, diebus laboraverat continua cum adjunctis ſignis cruditatum primarum viarum, facta harum per emeſin & catharſin depuratio, hirudines regioni temporali applicitæ, veſicatoria tam in nucha qvam dein brachiis impoſita, ob mali poſthac apparentem circa alternos dies exacerbationem exhibitus cortex peruvianus nil boni effecerunt, qvid, qvod, dolor increvit, & viſus oculi ſiniſtri notabiliter obſcuratus fuit, tanta morbi pertinacia, qvamvis nec exacerbatione nocturna nec alio

ſiphyl-

ſiphyllitico ſymptomate ſtipata me tamen in talis originis ſuſpicionem induxit, & æger ipſe demum profitebatur ſeſe ante dimidium annum laboraviſſe gonorrhœa remediis ſuppreſſa, & qvod dolorem per qvatuor menſes ſenſim adauctum ſentiiſſet; mercurii dulcis ideo grana duo mane & veſpera porrigebam, nondum poſt ſeptem dies ſalivationis veſtigio apparente, ſimul ungventi neapolitani drachmæ duæ qvavis veſpera inungebantur, nono die ſalivatio larga & decrementum doloris animadvertebantur, poſthac mercurii doſin ſenſim ad grana qvinqve augendo ſalivationem largam per qvatuor hebdomades promovi itaqve omnem allatum morbum prorſus delevi. Credidi & hoc exemplo magis perſvaſus fui, hemicraniam præ doloribus aliis topicis, dum medelæ evacuanti & derivanti pertinaciter reſiſtit, ſuſpicionem venereæ indolis mereri, qvæ curatiore de prægreſſis exploratione qvandoqve detegitur.

3. Vertiginem continuam cum ſuſurru & tinnitu aurium menſis ſpatio patiebatur vir 51 annos natus, qvi ſudore pedum largo fœtido imprimis tempore æſtivo affligi ſolebat, præſenti autem hyeme pedum frigori fere continuo ob defectum ſuffitientium tegumentorum expoſitus fuerat; reliqva omnia erant

naturalia. Venæſectio pediluvia, liqvor nervinus trihorio ſumtus octiduo absqve notabili levamine tentabantur; veſicatoria ideo in brachiis applicita erant, ſub qvorum ſuppuratione ſolito modo ad decem dies protracta caput ſenſim & integre reſtitutum fuit; probabile eſt, materiem acrem, antea per pedes exſudantem, ad caput converſam hunc affectum intuliſſe.

4. Dysphagia ſpasmodica vir 32 annos natus triduo laboraverat; ſc. ter qvaterve nychtemero deglutitio & loqvela per duas tresve horas impeditæ fuerant, ſaltem vox adeo rauca & exilis erat, ut prolata verba vix audiri potuerint, levis ſimul capitis dolor jungebatur, extra paroxysmos nil mali præter ſaporem malum, lingvam ſordidam, anorexiam accuſabatur; die introitus liqvorem nervinum bihorio exhibui, inſeqventi mane emeticum, triduo poſthac elapſo nil præter levem ſenſum faucium conſtrictorium accuſabatur; qvarto die paroxysmum ipſum modo ſupra deſcripto præſens obſervavi, pulſumqve interea naturalem deprehendi, nunc liqvor nervinus ter die exhibitus fuit, nec non ob alvum ſegnem pulvis eccoproticus mane & veſpera; elapſo biduo novus paroxysmus, qvem ſeqventi die emeticum itterabam; poſthac

hac dolor nuchæ accuſabatur qvandoqve excurrens ad brachia, qvibus ideo veſicatoria imponebantur, dein pediluvia in uſum tracta erant, brachiorum dolor hinc in crura transibat intercurrente tamen dolore nuchæ, cardiæ itidem & levi conſtrictorio faucium, qvibus per aliqvot ſeptimanis absqve paroxysmo ſupra deſcripto continuantibus oppoſui liqvorem cornu cervi ſuccinatum cum æqvali parte liqvoris nervini ad guttas 50 trihorio, unde morbus intra undecim dies prorſus tollebatur. Dolor vagus, in qvem morbus hic tranſiit, arthriticam illius indolem vix dubiam reddit.

SECTIO.

5. Vomitus apud fœminam circiter trigenariam duobus & dimidio anno haud menſtruatam adfuerat, primo qvatriduo ſangvineus largus, dein absqve ſangvine ſed ab omnibus ingeſtis revocatus, nec non qvotiescunqve corpus in lecto erigebatur cum dolore conſtanti hypochondrii ſiniſtri atqve oppreſſione cardiæ, decubitu tantum in latere affecto, facie pallidiſſima ſubtumida, alvo ſegni, pulſum inveni celerem debilem; ſtatus hic in noſocomio ad menſem fere permanens vires ad terminum letalem usqve conſumebat,

pridie ante mortem vomitus ſangvineus iterum ſeſe exſeruit. Aperto cadaveris abdomine vidimus lienem enormem caput infantile referentem, qvoad totam ſuperficiem externam inflammatum & cum hepate ligamenti cujusdam duri cartilaginei ope coalitum; facta lienis inciſione in conſpectum venit contentus abſceſſus notabilis ichore nigreſcente fœtido plenus, nec non maſſam revera oſſeam rotundam nucis moſcatæ magnitudine gaudentem includens. Hepar naturali majus bonæ ſubſtantiæ, veſica fellea bile copioſa repleta, inteſtina tenuia paſſim inflammata comparebant. Ortum vomitus cruenti ex læſo liene ejusdemqve circulatione notabiliter impedita caſus noſter manifeſto docet; qvalem nexum intellectu ſat facilem reddit communicatio vaſorum ventriculi & lienis, vi cujus reſiſtentia in his nata affluxum ad illa majorem tantumqve creare valet, ut per rupturam vel dilatationem nimiam ſangvinem in cavitate ventriculi effundant. Probabile eſt, nucleum oſſeum in liene, modo haud definiendo generatum, inflammationi & ſuppurationi ejusdem anſam dediſſe, qvam vice verſa utpote diuturnum, qvod ad formandam talem maſſam deſiderabatur, gradum ſuppurationis letiferum longe excederet.

6.

6. Tumorem durum ultra pugni magnitudinem in hypochondrio ſiniſtro prominentem bimeſtri ſpatio ortum ſenſimqve adauctum animadverterat miles qvadragenarius, dimidio præterea anno afflictus dolore freqventi medii abdominis, alvo ſegni, inappetentia, & corporis contabeſcentia jam ad notabilem gradum provecta, ultimo menſe tumores hœmorrhoidales inſignes moleſtabant; exploratione abdominali allatum tumorem, preſſione non dolentem, viſceribus ſubcoſtalibus hepati & lieni non continuum, ſed ſpatio licet parvo intermedio ab iis diſtinctum, nec non baſi lata ad cardiam ſeſe extendente & dura gaudentem inveni; ſaponacea, ungventum neapolitanum, & eccoprotica in uſum trahebantur, verum absqve ulla mitigatione morbi, cujus effectus poſt ſex in noſocomio transactas hebdomades funeſta fuit tabes. Aperto cadaveris abdomine nonnullum ſerum ſangvinolentum effluxit, hepar magnum nigreſcens tumores albos ſteatomatoſos continebat, verum vitium principale habuit pancreas tumorem capite infantili majorem ſub coſtis ſpuriis ſiniſtris prominentem efficiens, compoſitum glanduloſis tumoribus ingentibus paſſim ſuppuratis & fœtorem peſſimum edentibus cum interpoſito ſangvine extravaſato, nigro ſpiſſo, putrido. Carci-

non-

nonma pancreatis hæc hiſtoria docet & poſſibile monſtrat, ut & illius eventum mediante tabe funeſtum; diagnoſin qvodammodo difficilem reddidit ſitus tumoris coſtis adeo vicinus, ut hepati aut lieni inhærere crederetur; ſpatium tamen ſupra deſcriptum intermedium, nec non baſis tumoris ad pancreatis regionem naturalem extenſa veram mali ſedem indicare potuerant.